

ANNALIUM PROVINCIAE S. JOSEPHI

Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS
Redemptionis Captivorum.

LIBER IV.

SYNOPSIS.

Quinta & sexta captivorum Redemptio peragitur. Viennæ atque Illavie SS. Eucharistiæ Sacramentum transfertur. Conventus Pofoniensis Fundatio stabilitur, & in commodiorem locum transponitur. Annus Sæcularis & Jubileus sacræ nostræ Discalceatæ Familiæ festivo apparatus celebratur. Excedit decimum septimum CHRISTI Sæculum.

CAPUT I.

Propagationis nostræ novissimus status.



loriosissimis sub Aquilarum auspiciis & LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris semper Augusti ac Felicissimi, nec non præpotentum Austriae Dynastarum favore sacer Ordo noster in Dominiis Cæsareis ad Sanctissimæ TRINITATIS gloriam, captivorumque solamen multiplicatis domibus insigniter efflorescebat. Ecclesiæ Viennensis fabrica piorum subsidio ad fastigium producta intra anni unius decursum ea parte, quâ cœpta fuerat, ad coronidem perducenda sperabatur. Prætereà regularis vitæ zelus copiosò tyronum numerò & veteranorum virtute ac incitamentò auctus ad summam eniti contendebat perfectionem, inducto præsertim eo tempore veteri & laudabili more media nocte divinas laudes persolvendi. Illaviæ toto conatu ac indefessa sollicitudine perfectio monasterii urgebatur, satageisque manibus ædificii structura impigrè promovebatur. Pofonii nova Ordinis in ea urbe plantata colonia eximios spondebat fructus. Patakini in superioris Hungariæ civitate unico assistente P. Rocho a Spiritu Sancto res quidem Foundationis illius segniùs procedebant, quàm ab initio credebatur, integra tamen adhuc

Florent Ordinis principia.

Viennæ.

Illaviæ.

Pofonii.

Patakini.

1698.
Bruna.Quaedam de-
sciunt postea.

Causa.

spes erat ulterioris progressus. Bruna quoque insignis urbs Moraviae haud ignobilem nobis Foundationem pollicebatur, ubi assistebant in ejus arcis Praesidio duo nostri Sacerdotes. Verum ô! rebus secundis fors invida. Patakini jam confecta Fundatio deficiente solummodò Regio consensu subsequenter temporum injuriis, rerumque vicissitudine magnis passibus, & vel maximè bellò pestèque ad interitum properavit, aegrè post longum temporis intervallum resuscitata, omni tamen amisso censu, quamvis veterem & ruinofam domum nobis vindicaverimus, in qua etiamnum inter sexcentas egestatis molestias vivimus. Brunâ verò paulò post Religiosi nostri Superiorum jussu excefferunt, priusquam certi aliquid stabilitum fuisset; atque hac ratione etiam spes hujus foundationis evanuit. Caput autem omnium istorum malorum fuit penuria veteranorum; nec enim perfecti cœnobitæ in tanta statim multitudine succrescunt, sicut cucumeres, aut virentia olera, quæ eodem annò enascuntur, insequente hyeme flaccescunt, dilabuntur, & pereunt, inutili quoque radice & caudice. Ex Hispania aut ceteriore Italia usque ad sequentis anni Generalem Ordinis Conventum vix aliquis Religiosus venturus sperabatur, qui nutantes res nostras validis humeris fulciret, ut proinde cogitatio nulla suscipi potuerit de Ordine nostro in alias provincias, ad quas invitabatur, propagando, irreparabili hucusque jacturâ. Et hic erat impræsentiarum nostri Ordinis status, tolerabilis adhuc utcunque, si futuris calamitatibus conferatur, quas deflere potius, quam describere libet.

CAPUT II.

1698.

*Quinta succedit Captivorum Redemptio.*Ad quintam
Redemptio-
nem disposi-
tio.

I. **I**ngredimur ergo nunc annum ab orbe redempto millesimum sexcentimum nonagesimum octavum, ubi benedicente Altissimo, & ad pium commiserationis affectum corda fidelium permovente, curâ & industriâ P. Joannis a S. Augustino Redemptoris iterum conspicua maturuit Redemptio. Sesqui-annò necdum elapsò tum ex tertia parte reddituum pro captivorum redemptione separata, tum ex aliis hinc inde supervenientibus elemosynis succrevit facultas, ut ad terras infidelium pro liberandis e diro servitutis jugo miseris Christianis captivis nova adornaretur expeditio. Hæc verò, quoniam pro peculii magnitudine prioribus copiosior fore sperabatur, unanimi Patrum, quorum id interest, consilio sancitum fuit, ut in ceteriorem Tartariam Budziakensem dirigeretur, quatenus major inde fructus redundaret, & afflicti captivi in illis oris degentes animum erigerent, si pro suo solatio cominùs intuerentur, nos alternis vicibus nunc Turciam, nunc verò Tartariam adire, atque hòc spectaculò recreati, & spe patriæ denuò repetendæ delibuti tantò constantius in salvifica CHRISTI fide persisterent, qui præcipuus est ille scopus, ad quem sacri Ordinis nostri Institutum inconnivis semper oculis collimat.

II.

In Budzia-
kensem Tar-
tariam decer-
nitur expedi-
tio propter
causas.

II. Ingentem rei bene gerendæ fiduciam præbebat Transalpinæ Daciæ regulus, qui de futura non putabantur congruentia media & consilia, quibus P. Redemptor in ipsam Tartariam penetraret, & continuò cum ipsis Tartaris non obstante belli tempore de minore captivorum pretio coràm transigeret, nec non & illos præ cæteris eligeret, quos videret in majori necessitate & graviore periculo Christianam fidem abnegandi constitutos. Quamvis autem, ut in decursu narrationis clariùs elucescet, id minimè successerit, nec eventus ob gliscentem belli flammam, quâ Romanum Imperium cum Ottomannica porta interneciniis odiis committebatur, conceptæ expectationi responderit, consilium tamen sua laude non caruit, quod Christianis captivis grandem, procul dubio, utilitatem attulisset, nisi bellicis utrinque motibus & Legionum sibi invicem occurrentium metu dissipatum fuisset.

1698.
Fiducia in Valachia Principem.

III. Ad securitatem verò itineris opportunè sub idem tempus accidit, quinquaginta milites cum suo Ductore Viennâ in Transilvaniam ablegari. Omnes sub Comite Gondola Tribuno Cæsarea merebant stipendia. Horum comitatu, ut loca latrocinii obnoxia tutus transiret, P. Redemptor se adungere decrevit. Rebus itaque celeriter in viam dispositis Augustissimo LEOPOLDO Romanorum Imperatori expeditionem suam humiliter insinuavit. Cæsar, ut intellexit, quid P. Redemptor denuò moliretur, tam exquisitæ charitatis studium non potuit satis admirari. Probatò itaque propositò Salvi Conductus, ut vocant, Litteris eum instruxit, simulque epistolas ad Valachia Principem deferendas addidit, in quibus P. Redemptor simul & futuræ Redemptionis successus prolixè commendabantur: ejusmodi quoque alias ad eundem Principem commendatitias litteras exaravere Princeps Philippus Liechtensteinius, Comes Franciscus Udalricus Kinskius, & ex Italis Marchio Cajetanus.

Occasione itineris in Transilvaniam offertur.

Cæsaris Litterarum, & Ministrorum ad Principem Valachia.

IV. Quintâ Aprilis, quæ incidit in sabbatum ante Dominicam in Albis, rebus omnibus convasatis navigia, in Danubii alveo ad hunc finem præparata, conscenderunt, & eadem adhuc die circa Solis occasum flumentano itinere Posonium pervenerunt, ubi etiam firmatis ratibus ad sequentem usque lucem perstiterunt. P. Redemptor Posonii a fratribus in novæ foundationis domo hilariter exceptus noctem non sine magno solatio suo transegit, & juniores fratres ad debitas DEO pro cumulatis beneficiis agendas gratias, ad arduam virtutis viam alacri animò percurrendam exhortatus, subinde eorum precibus se ipsum commendavit, ut sibi felicitatem hujus Redemptionis successum pro majore DEI gloria & Christianorum captivorum salute a Divina Clementia exorarent. Ad sequentis diei auroram continuò eadem navi, quâ venerant, provecti, paucis post diebus Budam attigerunt; exinde relicto flumine carpentorum operâ usi ad lævam iter flexerunt, & superato longo terræ tractu feliciter cum quinquaginta militum cohorte in Daciam sive Transilvaniam pervenerunt.

Discedit & Posonium pervenit.

Ad fratres cohortatio.

1698.

Transilvania
plena militi-
bus.Auctis militi-
bus Claudio-
polim profi-
ciscitur.Comes Ra-
butinus.Itineris peri-
cula.Stephanopo-
li in Vala-
chiam transit.

V. In ipso regionis ingressu non solum oppida omnia, sed etiam tenuiores pagi, vicique ignobiles Caesareis militibus undabant, qui per varia loca dispersi Provinciam tutabantur, & limitaneorum hostium incursiones ac depopulationes propulsabant; hi namque cladum praeteritarum recordatione provocati, seu etiam praedarum cupiditate illecti universum illum agrum igne ferroque vastare constituerant. Tribuni militum ac centuriones non ignari per aspera deinceps montium, latentes cavernas, horrida, deviaque nemora, angustos anfractus & tortuosos calles Patri proficiscendum esse, ne occultis ac passim latentibus hostium insidiis exigua militum manu testus interciperetur, alios addiderunt viros expeditos numero non paucos, quorum praesidio P. Redemptor Claudiopolim pervenit, ubi remissis prioribus alii succenturiati milites eum Hermanstadium usque incolumem perduxerunt. Aderat hic Rabutinus Comes, regionis hujus Praefectura non ita pridem donatus, sed dudum jam Ordini nostro singulari affectu addictissimus, qui P. Redemptorem propensissimam benevolentiam excepit. Is demum praeter alios milites ad securitatem substitutos, etiam Valachici idiomatis interpretem addidit continuo Stephanopolim sive coronam praefecturis. Pluribus periculis, quam alias, obnoxius hic videbatur transitus; nam praeter asperrimos montes, rupes & praecipitia passim ibidem latrociniorum vestigia terrebant: eam ob causam pro viatorum tutamine per ordinatas intercalatim stationes frequens excubabat miles. Haud tamen quidpiam illis in hoc itinere molestum accidit, licet alius quidam casus fortuito enatus P. Redemptori perniciem, aut etiam praesentissimum exitium minatus fuerit: nox altera ingruerat, dum in curru, quo Pater vehebatur, embolus (clavum dicimus, qui rotam in axe cohibet) nemine vitium advertente, resiliit per iter amissus. Pergunt tamen protegente DEO prospere, quamvis incurii, donec Superum fors instinctu Pater vitium ex recedente rota animadvertit, qui in clamato auriga periculum manifestavit: hic vero refrenatis equis cursum confestim stitit, & tempestivo remedio imminenti discrimini obviavit, cum jam vix tribus passibus a praecipitio essent remoti.

VI. Stephanopolim tandem delati non inferiore benevolentia excepti fuerunt a Praesidii Governatore, eaque nocte attritas itineris laboribus vires placida quiete recreaverunt. Exorta luce Governator de ulteriore transitu sedulam gessit curam, & quia ibidem loca praedonibus admodum infesta fuerant adhuc superanda, ipse quinquaginta milites probe armatos cum eorum Ductore Patri adjunxit, qui eum ad Valachiae confinia comitarentur, & adversus latronum injurias tuerentur. Post tempus aliquot Valachiae limites attigerunt, ubi nullum amplius a grassatoribus periculum metuendum erat. Remissis igitur militibus P. Redemptor cum interprete, paucisque viatoribus, Valachis nimirum illius terrae indigenis, XIX. mensis Maji Bukarestum, ubi Princeps Valachiae aulam tenebat, feliciter pervenit.

CAPUT III.

1698.

Redemptionis progressum temporis difficultates remorantur.

I. **P**ost tot longinqua & gravia emensa itinera ad januam expeditionis suæ P. Redemptor se consistere lætabatur, optatam Christianis captivis libertatem propediem allaturus. Summam ille conceperat fiduciam de benevolentia Principis hujus terræ, ut Turcis vestigalem, ita non infimæ apud eosdem auctoritatis. Illius itaque opem implorare, sequi consilia, ipsius dexteritati plenè se velis committere Pater tutissimum arbitrabatur. Neque spes concepta eum fefelleret, si temporis injuriæ & difficultates optimæ Principis menti obicem non posuissent, negotiùmque sufflaminassent, ut paucis nunc expediam.

Unde fiducia in Valachia Principem?

II. Urbem ingressus ab incolis loci comiter excipitur; Valachi namque præ cæteris Daciæ populis hospitalitatis laude florent. Longioris moræ impatiens P. Redemptor aulam e vestigio adivit, & alloquium Principis prehensavit: nec cunctanter admittens causam sui adventus exposuit, suppliciterque poposcit, ut Princeps pro maturando hujus negotii successu sua ope & auxiliò sibi securum aditum in Tartariam impetraret. Epistolas deinde tam Imperatoris LEOPOLDI, quam aliorum Viennensis Aulæ Optimatum deprompsit, easque Principi porrexit. Iste autem sereno prorsus vultu orantem Patrem audivit, oblatamque Imperatoris epistolam magna venerationis significatione, alias quoque Viennensium Procerum litteras non sinè honoris testificatione, cujusvis statui commensâ, accepit. Ad patris autem preces benignè respondit; se promptissimò quidem animò tam insigni Christianæ charitatis exercitio opem laturum; addebat tamen, se magnoperè angi, quòd satis sciret, præsens tempus captivorum redemptioni promovendæ non esse opportunum, nec in Tartariam, nec in Turciam ingressum consuli posse, quòd undequaque gentis iniquies ad bellum nunc infestis signis moveretur, & immanitatis sensu aut impulsu, ob implacabile in Christianos odium omnium animi essent exasperati. Suasit proinde Patri, ut paulisper hic in Valachia subsisteret, donec furor immitis hujus tempestatis nonnihil deferveret, alioquin se vereri dicebat, ne Pater se, suamque vitam, totumque Redemptionis peculium præsentissimo discrimini exponeret. Adjecit præterea, captivos æstivo nunc tempore ruri, domique majoribus urgeri laboribus, nec facillè venum ire occupatos, & necessarios. Nihilominus tamen promisit cordatus Princeps, se hac de re largiùs deliberaturum, omnesque possibiles vias tentaturum, ut P. Redemptor votorum suorum quantocyùs compos evadere possit.

Hospitalitatis laude florent Valachi.

Ad Principis alloquium venit.

Principis responsio.

III. Et reapse stetit ille promissis suis; paulò post enim in consilium vocavit Turcici Sultani & Tartarici Chani Ministros, quibus cum Principe jus est dicendæ sententiæ, & quos semper

Consilium cum Ministris Turcicis & Tartaricis.

2698. in deliberationis partem advocare tenetur, quoties negotia emergunt unam alteramve partem concernentia. His igitur Patris adventum & propositum indicavit, auditurus, quid ipsi circa Salvum Conductum, circa ingressum illius Provinciae, & circa hanc expeditionem sentirent. At illi pariformiter easdem ob rationes responderunt, id nullò modò præsentibus mensibus sine manifestissimo periculo posse attentari: polliciti sunt tamen, se missis ad viciniore loca litteris effecturos, ut Christiani captivi ad Valachiae limites ducantur venundandi: interim P. hic persistat, & securus quiescat. Postquam itaque Benignissimus Princeps Patri Turcicorum Ministrorum sententiam aperuisset, ne tempore suæ in hac urbe commorationis rerum necessariorum inopiâ laboraret, ei domum pro incolatu, & alimenta pro victu liberaliter assignavit.

Item respondent.

Hospitium & victus assignantur.

Diu nihil in effectum prodit.

Gallico Oratori scribitur, sed nullum reddit responsum.

IV. Elapsus est interea mensis Junius, quin aliquis captivus ad Valachiae confinia veniret, aut venire nunciaretur. Mense Julio desidis inertisque vitæ pertæsus Pater, quacunque demum posset viâ, aut ratione ex hac pigra statione maluit eluctari, quam otio, & torpore marcescere. Extemporaneum itaque consilium ab ipsa necessitate mutuatus est; scripsit nimirum ad Christianissimi Regis Oratorem, qui Adrianopoli Turcarum Sultani aulam sequebatur, officiosam epistolam (hoc namque unicum remedium ei supererat ad propositi sui finem consequendum) ut auctoritate sua, quâ multum pollebat apud Portam, Salvi Conductus litteras sibi impetrare dignaretur, quarum virtute Turcarum ditiones adire, ac tam commendabile Christianæ pietatis opus, quale est Redemptio Christianorum captivorum, in desideratum finem deducere posset. Epistola quidem hæc, ut postea patuit, per Principis Valachiae Ministrum Adrianopolim delata, & Gallico Oratori tradita fuit, hic autem ad eam respondere aut noluit, aut nequivit.

C A P U T IV.

Descriptio Valachiae hodiernæ.

Amplitudo & limites Valachiae.

I. **Q**UONIAM huc evasit narratio nostra, præfixos instituti mei limites haudquaquam prævaricaturus sum, si succinctò calamò descriptionem hodiernæ Valachiae subjecero, cum hæc magnum omnino lumen sit allatura præsentis Historiæ, in qua non semel Patrum Redemptorum itinera per hanc Provinciam nobis commemoranda venient. Valachia proinde pars est Veteris Daciæ, totumque illum terrarum tractum suò gremiò continet, qui apud antiquos Scriptores sub nomine Daciæ Alpestris celebratur. Et hæc quidem veteris Valachiae fuit amplitudo, utpotè, quæ lato, ac diffuso sinu ad ipsum usque Niester, sive Turlam fluvium procurrerat, atque adeò Moldaviam etiam complexa fuerat, cum ex Græcorum monumentis satis constet, omnes populos Daciæ Alpestris, quæ hodiè in Moldaviam & Valachiam dividitur, com-

communi vocabulo *Vlachos* dictos fuisse: hæc tamen nostra ætate multò angustioribus terminis constringitur; ab Oriente siquidem Moldavâ & Danubiò fluminibus alluitur, ab Occidente Hungariam & Transilvaniam attingit, a Meridie Istrò undique coarctatur, a Septentrione denique Moldaviam & partem ejusdem Transilvaniæ respicit, ut proinde longitudo ejus, si ab Occidente in Orientem computetur, ultra sexaginta milliaria germanica se extendat, maxima tamen ejus latitudo triginta quinque milliaria non superet.

1698.

II. Hæc provincia, quæ priscis Geographis Dacia Alpestris dicebatur, Flacciæ deinde nomen accepit a Flacco Duce, quem Trajanus Imperator cum triginta hominum millibus ad excolendum hujus regionis agrum destinaverat. Alii dicunt, exules illos Romanos fuisse, qui sub Flacci auspiciis veteres Daciæ incolas ejecerunt, subjugatæque Provinciæ Ducis sui nomen indiderunt. Quidquid de hujus rei veritate sit, illud extra controversiam est, hanc regionem a Trajani temporibus Vlachia nomen habuisse, quod deinde sensim corruptâ dialectô in Valachia vocabulum transiit. Hodie a Turcis gens ista *Iflach* appellatur, & regio ipsa *Bogdania* dicitur, incolæ verò semetipsos *Wolochios* nominant.

Unde nomen accepit?

III. Quod terram attinet, ut jam propiùs ad rem propositam accedamus, ea ferè tota crebris silvis obtegatur, alicubi tamen in præruptos montes affurgit. Cæterùm ab exquisita vini, ac frumenti fertilitate commendatur: pascuis prætereà lætissimis luxuriat, unde & incredibilem vim ovium, boumque, insigni sua magnitudine spectabilium, producit. Nec equi desunt, cum generosi, tum longi halitûs, multique laboris. Juxta Trescortum bitumen e tellure ebullit, parem ceræ usum præstans, nisi quòd nigricante colore suo peccet. Metalla quoque auri, argenti, cupri, ferri, plumbique passim inveniuntur. Pagis oppidisque abundat, paucas tamen urbes habet, nullum verò locum valde munitum, ut proinde tota regio primò occupanti pateat.

Soli qualitas

IV. Antiquitus tota Valachia unius Principis imperio parebat, hodiè tamen in duas partes dividitur, quarum altera Austriaca, altera verò Turcica dicitur. Sub nomine Austriacæ Valachia illa terræ portio intelligenda venit, quæ Hungariæ Regno contermina ad viginti circiter milliaria in longitudinem excurrit, & ab Augustissimo Romanorum Imperatore CAROLO VI. capto regionis Principe occupata fuit. Hæc provincia, quamvis munitioribus urbibus, & arcibus careat, a Cæsareo tamen Præfecto gubernatur. Altera verò pars Valachia, quæ sancita pace Passarovicensi beneficiario Principi cessit, idcirco Turcica dicitur, quia Turcarum Imperatori annum vestigal pendit, & pro aula Byzantinæ arbitrato illos Principes recipit, quos Sultanus huic terræ præponere voluerit. Austriaca Valachia ad Orientem Alutæ fluctibus tunditur, ad Occidentem Hungariæ, ac Transilvaniæ opponitur, ad Meridiem Istrò terminatur, ad Septentrionem perpetuis montibus a Transilvania dispescitur. Vicis & oppidis

Divisio.

Austriacæ Valachia descriptio.

1698.
Crajova.

passim scatet, nulla tamen urbe singulariter munita ornatur. Caput totius regionis est *Crajova*, haud procul a margine *Syl* fluminis remota: civitas ista non ita pridem copiosa fuit, & frequens, multis incolarum millibus, multis templis, nec ignobilibus aedificiis superba, sed quod nullum a moenibus praesidium haberet, anno superiore, septingentesimo nimirum, & trigesimo septimo supra millesimum, a Turcis occupata, & subjectis flammis exusta fuit, tristitia nunc busta prioris suae gloriae exhibens. Praeter *Crajovam* pars ista *Valachiae* alias complures urbes continet, quales sunt *Remnick*, sive *Redniz*, *Baja*, *Csernetz*, sive *Urbs nigra*, *Valachicorum Principum* quondam sedes, *Clodova*, *Tismona*, *Bistritz*, &c. Sed cum nihil habeant, quod peculiari commemoratione dignum esset, illis singillatim describendis consulte supersedeo, & ad *Turcicam Valachiam* perlustrandam me accingo.

*Bukarestum.**Dembrovitz.*
fluvius.

V. In hac eminent *Bukarestum*, sive *Bochorestum* moderna sedes *Principum Valachiae*. Haec civitas licet ingenti sinu aliquot aedium millia complectatur, nullam tamen nobilioris formae struaturam ostentat, cum aedificia ferè omnia ex lignis compacta sordescant. Palatium Principis unicum est, quod in hac urbe viatorum oculos allicere possit; reliquae siquidem Procerum aedes, quamvis suam elegantiam plebeiorum domicilia superent, parum tamen habent, quod admirationem peculiarem mereretur. Ecclesiae nihilominus satis sunt cultae, & pro ritu Graecorum ornatae. Fluvius, qui hanc civitatem interfecat, eamque in duas partes dividit, *Dembrovitz* dicitur, urbisque commerciis insigniter obstricitur, unde & ab omni generis mercatoribus, utputa *Judeis*, *Graecis*, *Tartaris*, *Turcis* & *Armenis* copiosissime frequentatur. Praeter gentium, vestium, morum & linguarum varietatem, quae huic urbi ornamentis elegantiaeque plurimum confert, conspiciere hic est Graecorum Schismaticorum Episcopum, imò Metropolitanum ipsum, cui reliqui per *Valachiam* dispersi parent. Habent ibidem Patres *Franciscani* domum & sacram aediculam, quae moderno tempore ab uno alteroque incolitur, olim etiam instituendis Ordinis sui tyronibus coenobium erat, in quo, licet Romanum pro summo CHRISTI Vicario agnoscant Pontificem, memorantur tamen Graecorum ritus ac caeremonias in obeundis mysteriis usurpare.

Tergovistum.

VI. Proximum a *Bukaresto* locum obtinet *Tergovistum* vulgò *Tervis*, quae civitas caput quondam totius *Valachiae*, Principumque sedes fuit: Distat *Bukaresto* novem circiter milliaribus *Hungaricis*, *Jaloniczae* fluvii margini affidens. Civitatem hanc hosti non facile perviam reddunt vallorum septa, aggeresque tumultuario opere excitati: imprimis autem palus undique circumducta, quae hyemis praesertim tempore tantam aquarum vim in civitatem effundit, ut nonnunquam ipsos incolas ad tempus aliò migrare compellat. Incolitur autem ad instar aliarum *Valachiae* urbium a variae nationis hominibus, praecipue tamen a *Graecis Schismaticis*, quorum monachi quatuor hic coenobia possident. Celebris autem redditur a mercatorum frequentia, qui merces ex
Orien-

Oriente allatas in Transilvaniam, aliásque latè regiones transmittunt. Aère prætereà saluberrimo perfunditur, quò Valachiae Princeps illectus crebrius ad hanc urbem se recipere solet.

1698.

VII. *Bakoviam* sive *Bratzkoviam* civitatem Clemens VII. Pontifex Maximus illustrem reddidit, qui hanc urbem Catholici Episcopi, Coloczensi Metropolitæ subiecti, sede ornavit, cujus tamen titulus non ab Archi-Episcopo Coloczensi, sed ab ipsa immediatè Curia Romana confertur. Porro civitas hæc ad fontes amnis Jaloniczæ sita montes respicit, qui Valachiam a Transilvania & Moldavia determinant. Incolas habet admodum frequentes, multisque templis & religiosorum hominum domiciliis exornatur. *Campolongo* civitas est satis elegans, & civium multitudine non multum aliis concedens. Hanc Germani *Langenau* appellant. Sita est autem inter *Tergovistum* & *Cibinium* Transilvaniae urbem velut media, viamque per campos peregrinantibus latè exporrectam aperit. A Germanis potissimum inhabitatur, Saxonibus nimirum e Transilvania egressis. Non desunt tamen etiam Valachi & Turcæ, quorum ultimi majore ex parte mercaturam faciunt. Insuper Basiliani Monachi magnum hic asceterium obtinent, ipsèque adeò Princeps Valachiae per ætatem crebrius eò migrare consuevit, amœnitate, crediderim, loci, unde in campos latè diffusos lætissimus prospectus patet, illectus. *Ibrahim*, sive *Brabilev* urbs est Valachiae ad confluentem Istri & Moldavæ fluminum sita: hæc ad mediocrem hostem repellendum satis est munita, magnoque mercatorum concursu visitatur, sed Turcarum Imperatori subiecta, Patribus Redemptoribus ex Ordine nostro crebrius hospitium præbuit. Aliæ deinde hujus Provinciæ civitates, quales sunt *Dembrovicz*, *Coule*, *Esquerre*, sive *Gbiele*, *Buffovo*, *Foesian*, &c. magnæ quidem, & incolis refertissimæ sunt, sed ob ædificiorum vilitatem contemptibiles, ut proinde operæ pretium non videatur in earum descriptione diutius hærerè.

Bakovia. Episcopum Catholicum habet.

Campolongo.

Ibrahim.

VIII. Jam quod mores hujus gentis attinet, ii universim sic se habent: Populus est ad arma, laborésque proclivis. Erga uxores mariti officiosi, easque præfessionis honore afficiunt. Erga externos & advenas comes sunt & hospitales. Agricultura minus sunt addicti, quàm armentorum curæ, quibus observandis in mapaliis, gurgustiolisque ruri, ubi fœcundiora pascua repererint, plerique ætatem agunt. In vestiendi ratione ad Moldavorum consuetudinem accedunt, Majorum suorum morem secuti, ab Hungaris non nihil differunt. Utriusque Valachiae indigenæ, id est Moldavi æquè, ac Valachi, ab iis temporibus, quibus Romanis, Gothisque parebant, ex vetere Gothorum & Romanorum linguis corruptum idioma usurpant, plurima Latinorum vocabula hodièque retinentes. Huic confusæ linguæ aut vicinitatis, aut commerciorum occasione Russicam seu Slavonicam linguam addiderunt. Si tamen Valachum loquentem audiveris, prima facie Italum sermonem te percipere putabis, quem tamen attentius

Mores gentis.

Vestiendi ratio.

Idioms.

1698.

auditum sic differre fateberis, ut eum neque Latinus, neque Italus, neque uterque simul intelligat. Argumento esse potest usitata illa loquendi formula, quâ in familiaribus sermonibus suis sæpius utuntur: *Noi sentem di sange Rumena.* Nos sumus de sanguine Romano. *Su noi sentem Rumeni.* Etiam nos sumus Romani. *Rumen muntan.* Romanus montanus, & plura hujusmodi, quæ nec Italica integrè, nec integrè Latina sunt, quamvis prima fronte aut ex ista, aut ex illa lingua deprompta videantur. In formandis characteribus, paucissimis exceptis, Latinos sequuntur: quidam tamen & Græca scribendi ratione, & vernacula utuntur.

Religio.

IX. Valachi religionem profitentur Christianam, sed ad institutum Græcorum Patriarcham Constantinopolitanum Caput suæ Ecclesiæ agnoscunt, qui Valachos, Moldavosque subinde visitatione dignatus eosdem sua benedictione impertitur, & amplissimis muneribus relatâ domum revertitur. Plerique ingenti pietate Virginem DEIPARAM prosequuntur, ejusque prodigiosas Icones magna religione visitant. Multi tamen inter illos fidei orthodoxæ addicti reperiuntur, quorum numerus fervente zelo Reverendorum Patrum Societatis JESU, & Franciscanorum ita excrevit, ut proprium Episcopum a Sede Romana præpositum habeant, qui communiter Bakoviæ, ut diximus, residere consuevit.

Princeps, & ejus potentia.

X. In Valachia superioribus temporibus Principem eligendi potestas penes populum fuit, Turcarum Imperatore duntaxat electum confirmante: Ast nunc Sultanus Præfectum pro suo arbitratu imponit. Equidem Valachiæ Principes nonnunquam Turcicum jugum excussere, sed mox ad id denuò subeundum coacti sunt. Porrò magna fuit quondam Valachicorum Principum potentia, adeò, ut quinquaginta, aut etiam sexaginta equitum millia in aciem producere potuerint, hodiè tamen viribus attritis vix decem millia sustentare valent. Ordinarius redditus ejus quot annis ad centum & quinquaginta aureorum millia ascendere dicitur. Privatorum autem maximæ opes consistunt in armentis & ovibus, quas incredibili copiâ, præcipuè melioris notæ boves ad Russos, Hungaros, Polonos, Silesios, Turcasque dividunt. Sanè ex hac sola regione centum & quinquaginta naves, rebûs ad victum necessariis onustæ, præter eas, quæ boves vehunt, ovæque per Pontum Euxinum Constantinopolim appellunt. Sed hæc satis de Valachia sunt: tempus nunc monet, ut ad Patrem Redemptorem, in hac Provincia tam diu hærentem, oculos denuò convertamus.

CAPUT V.

Industria Valachiæ Principis Redemptio felicem finem consequitur.

In congregandis captivis Principis sollicitudo.

I. Cùm nusquam gentium spes alicujus progressûs affulgeret, Optimus Princeps mense Septembri jam adulto efficacissimis curavit mediis, ut tandem Christiani captivi venditionis

cau-

causâ ad Valachiæ limina perducerentur. Nec caruit optato successu hæc industria. Seligebantur præ cæteris gentis Austriacæ & Hungaricæ viri atque mulieres, quotquot reperiri potuerant. Tractabatur de pretio eorundem rationabili, & solvebantur celeriter, ita quidem, ut in principio mensis Novembris quadraginta numero utriusque sexûs Christiani desideratissima potiti sint libertate. De aliis decem lytrum mutuo partium consensu jam quidem stipulatum, sed nondum persolutum fuerat, quod in remotioribus regionis plagis abditè tardius venirent. Pater verò instante jam hyeme, ne illos expectando cæteris, sibique melioris adhuc temporis jacturam crearet, itineri se accinxit, omne verò lytrum pro illis decem mancipiis, sicut pro singulis eorum pactus fuerat, apud Principem deposuit, e vestigio solvendum, quamprimùm illi captivi in Valachiam pervenissent.

II. Quinque solum Austriacæ nationis captivi inveniri poterant. Hungari erant duo & viginti, cæteri ex variis Germaniæ regionibus ortum trahebant. Plerique seminudi mittebantur, quod Tartari corpora duntaxat eorum (addo & animas) se vendere dicitarent. P. Redemptor comparatis pro unoquoque pelliceis indumentis vestivit omnes, munivitque adversus frigora, longum præsertim iter respiciens, quod eis tunc emetiendum occurrebat. Piiissimus Valachiæ Princeps, ut successivis diebus redempti advenerant, ita de sua penu omnibus ad vitæ sustentationem affatim victualia suppeditavit, ac paternè nutrit. Commendabilis sanè in Principe, & quidem extero, & quod magis mirabere, a Romano-Catholicis sacris alieno Pietas. Tot igitur pulcherrimis beneficiis obstrictus Pater, queis nulla ratione parem vicem referre poterat, gratias, quas potuit, maximas ipsi Principi Valachiæ, deinde quoque ejus Patruo Illustri Constantino Cantacuzeno, Viro Excellentissimo, & Redemptioni singulariter affecto, prolixè persolvit; DEUM Ter Optimum, Maximum Bonorum omnium remuneratorem & Vadem precatus, ut sua inexhausta largitate tam singularem Beneficentissimorum Principum liberalitatem cumulatissimè remunerari vellet. Demum rebûs omnibus ritè dispositis die septima mensis Novembris cum redemptis Christianis in DEI Tri-Unius nomine ac Numine lætus in Patriam remigrare instituit.

III. Paucis post ipsius discessum diebus residui decem captivi, de quorum lytro, ut dixisse memini, inter Patrem & Tartaros jam convenerat, regionis confinia tenere nunciabantur. Soluti sunt e vestigio, & adducti Bukorestum ad Principis Regiam, liberi quidem, sed exhausti, & indumentis penè omnibus ob supradictam rationem spoliati, nisi quoddam levidensis lacernula ægrè membra illa rigente etiam bruma obtegeret, quæ naturæ verecundia oculere dicitat. Nihil erat eo squalore potentiùs ad munificentissimi Principis liberalitatem provocandam, cui semper antiquissimum fuit miseris subvenire. Dapibus itaque recreatos, decentique vestimentò adversus frigoris sævitiam munitos placidè demisit, singulosque viaticò viritim donatos monuit, ut P.

1698.

40. redempti.

De aliis 10. pretio transactum.

5. Austriaci
27. Hungari
redempti.Seminudi
vestiuntur.

Princeps victualia præber singulis.

Pro beneficiis
Pater gratias
agit.Reliqui 10.
redempti sequi
jubentur
Patrem.Altera liberalitas
Principis.

1698. Redemptorem quàm celerrimè in itinere assequi conarentur: illi autem inter faustas comprecationes Optimi Principis liberalitatem magnificantes cæteros in Transilvania jam agentes affecuti prævix Redemptorum catervæ hilares se aggregarunt, uno agmine simul in patriam profecturi.

In Transilvania concurrunt eodem tempore milites ex castris, Utrisque prævisam.

IV. Plurima sub hujus itineris decursu pauperes viatores superarunt pericula, exantlarunt incommoda, semper tamen læti & solatiò pleni ob recuperatam postliminiò Redemptionis beneficiò libertatem. Conflctabantur potissimùm in illis brumalibus diebus perpetua aëris intemperie, & confragosa viarum asperitate. In villis & oppidis, ubi ex Cæsaris mandato eis commeatus exhiberi debuisset, sæpenumerò committebantur cum militibus e castris ad hyernas stationes properantibus: Isti autem Martio ardore feroces jus suum jactabant, & imperiosè, ut solent, hospitorum commoda ab incolis extorquebant, qui subinde tanta advenarum multitudine obruti ne potuerunt quidem omnibus satisfacere, quamvis maximè vellent. Sustinebat interea P. Redemptor non pauca, & incolis & redemptis simul compatiens, bonis tamen, ut poterat, verbis impetrabat, quod milites minis extundebant & imperiò.

C A P U T VI.

Corollaria hujus anni complectitur: Generalia Ordinis comitia; Conventus Viennensis plures eliguntur Ministri, qui resignant officium. P. Michael ab Assumptione in Hispanias redit. Illavix pars fabricæ absolvitur. Comitis Sigefridi Breüneri obitus.

Generale Capitulum.

I. **A**D terminum jam properante hujus anni curriculò, orationem paulisper cogimur interrumpere, & ea, quæ eodem annò sæculi octavò & nonagesimò domi, forisque gesta sunt, in hoc & posteriore capite breviter recensere, donec in sequentis anni principio advenientem P. Redemptorem cum suis redemptis observata temporis serie læti excipiamus. In eundem siquidem labentis sæculi annum incidere Generalia Ordinis Comitia, post triennium virtute sacræ nostræ Regulæ celebrari solita; eratque, ut usitatus inter nos loquendi modus obtinuit, *intermedium* Capitulum in sexennio Nostri P. Joannis a S. Antonio Majoris ac Generalis Ministri. Toleti nimirum in Hispania ad diem sextum & vigesimum mensis Aprilis, Sabbatò ante quartam Dominicam post Pascha Patres Ordinis, ut moris est, congregati saluberrima quæque aut noviter statuerunt, aut hominum imbecillitate labantia consiliis & sanctionibus instaurarunt, queis prolixius recensendis immorari non libet, qui ex instituti mei ratione ea duntaxat litteris commendare decrevi, quæ peculiariter hanc Provinciam concernunt. Quamvis autem pauca quædam in illo Patrum consessu ad hunc locum pertinentia tractata fuerint, nihil

nihilominus tamen etiam illa invincibilibus difficultatibus scatebant, ut proinde spes nulla remanserit diu desideratum, sed semper dilatatum religiosorum operantium subsidium ex Hispania obtinendi. Auxit malum, quod P. Sebastianus a Sanctissimo Sacramento, Vir morum integritate, ac eruditione non vulgari conspicuus in Viennensis Domus Ministrum electus in immediatè sequenti Definitorio munus abdicaverit. Huic sublektus est P. Alexander a Matre DEI priori non modò æquandus, verùm & fortè præferendus, sed ne hic quidem persuaderi potuit, ut delatis fascibus humeros submitteret; qua de causa cum Noster P. Generalis Minister hanc ejus tergiversationem parùm probaret, missus est ad cœnobium S. Crucis de Campo Martio dictum, ubi piis commutationibus incumbens eruditissimis voluminibus in lucem datis effloruit. Et quid diutiùs moror? Multi præclaris dotibus ornati Religiosi in animum inducere non potuerunt, ut patrium solum relinquerent, & in Germaniam se conferrent. Cùm itaque Ministerium Viennense quasi pro derelicto haberetur P. Joannes a S. Augustino captivorum Redemptor rerum inscius eodem mense Aprili longinquam profectionem in Tartariam aggressus, nec ante sequentem annum Viennam reversurus ejusdem cœnobii Præfecturam accepit. Patri Josepho a Matre DEI prorogata fuit provincia Commissarii Generalis usque in sequens triennium, jussus etiam officium Præsidis in conventu Viennensi ad adventum usque P. Joannis retinere. Alter verò P. Josephus a Sanctissimo Sacramento nuncupatus, in Redemptoris munus succenturiatur. Inde facile conjici potest, quantopere recens propagatio nostra, idoneis viris indiga, aut neglecta fuerit, aut vana subsidiorum spe frustra lactata, usque dum hæc penitus evanuerit.

II. Has inter vicissitudines illud planè intolerabile accidit, quod P. Michaël ab Assumptione, qui priore anno primus nostræ Domus Posoniensis regimen susceperat, & hætenus cum cæteris adjutoribus in vinea Domini & ducendis Ordinis coloniis gnæviter laboraverat, privatis quibusdam rationibus ductus missionem flagitaverit, & in Hispanias redire decreverit, incongruo prorsus tempore, quando non solum omnis subsidii & cooperantium spe destituebamur, verùm etiam illis, quos inter nostros & necessarios computavimus, nimis intempestivè privabamur. Proh hominum, Superùmque fidem! qui fieri potest? ut nova succrescat planta, cui etiam radices succiduntur, tolluntur vitalia. Consequens sanè est, ut rami ejus, ac folia quoque flaccescant, fructus nativo destituti humore decidant, conteranturque omni vigore ac succo destituti. Sed hæc erant tristia futurorum præludia, & impendentis languoris paroxysmus. Cæterùm rebùs ità comparatis Præfectura Domus Posoniensis delata fuit P. Francisco a Matre DEI: hic Granatæ in Bœtica natus superioribus annis in Collegio Viennensi sacram Theologiam Fratribus Ordinis nostri prælegerat, & postea brevi tempore Stanislaoviensi Conventui in Polonia præfuerat. P. Michaël autem V. Kalendas Novembris Austriam excessit dissentientibus & reclamantibus

1678.

Duo pro Domino Viennensi electi Ministri resignant.

Minister.

Commissarius Generalis.

Redemptor.

P. Michaël ab Assumptione in Hispaniam rediit.

Posonii alter substituitur Præfeco.

1698.
P. Michael
multum pati-
tur.

plerisque. Non tamen impunè; in Hispaniam siquidem delatus post mortem CAROLI II. Regis Catholici ingentes ærumnas exantlare debuit; cum enim ob reditum suum ex Germania factioni Austriacæ favere, & res novas moliri crederetur Pampelonæ, ubi tunc nostrum cœnobium gubernabat, ad ejusdem civitatis castrum ductus, in carcerem coniectus, & diu ibidem detentus parùm a summo vitæ discrimine absuit; plurimè certè calamitatibus præcoci consilii sui pœnas dedit cum P. Josepho ab Angelis, de quo superius eadem recensuimus, & aliis adhuc tribus nostris Religiosis eadem ex causa simul in castrum Pampelonense abductis. Ab his omnibus malis immunis fuisset, si, quòd alii impendiò suadebant & orabant, ipse facere, & in Germania remanere voluisset.

Illaviæ pars
fabricæ perficitur.

III. Porrò Illaviæ vigilante sollicitudine P. Josephi a JESU Maria Præsidis magnis passibus cœnobii ædificium ex altera sui parte ad perfectionem ascendit, veteribus parietibus probè jam instauratis, novis muris erectis, cellis, aliisque officinis tam decenter paratis, ut proxima hyeme Religiosorum habitationi idoneum fore conferetur: unde & juniores fratres, qui Viennæ tyrocinium non ità pridem absolverant, Philosophiæ curriculum auspicatori cum suo Lectore & Magistro eò destinati fuerunt, ut locum a vetustatis sordibus expurgatum, & in novam speciem transformatum primi incolerent. Id fanè divino munere eis obtigit; prodigio namque simile videbatur, locum illum tam celeriter, id est intra unius anni & aliquot mensium spatium paucorum operariorum manu ad tantam magnitudinem provehi potuisse. Singulare, procul dubiò, solatium inde concepisset, si in vivis superstes mansisset, Excellentissimus Dominus Sigefridus Christophorus Comes Breünerus, Aulico-Cæsareæ Camerae sive reddituum Præses, LEOPOLDO I. Imperatori a Sanctioribus consiliis. Sed heu! eòdem annò IV. Idùs Maji ille piè obdormivit in Domino, maximò sui relictò desiderio, vir ingentibus naturæ & gratiæ dotibus ornatus, fidelissimus Cæsaris Minister, eximia pietate præditus, morum integritate nulli secundus, æternis in cœlo meritorum suorum præmiis, ut minimè ambigimus, cum DEO perfruiturus in pace.

Collegium
Philosophiæ
deservit.

Obitus Co-
mitis Breü-
neri.

C A P U T VII.

Viennæ in Majorem Ecclesiam Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum transfertur.

Pars templi
Viennensis
perficitur.

I. CANDIDIORE hic annus propè finem signandus est lapillo, in quo nostræ Ecclesiæ Viennensis fabrica, imposita fastigata testudine, coagmentato fornice, incrustatis & dealbatis parietibus, binis erectis aris, & effossò inferiùs hypogeo pro sepeliendis fidelium corporibus ad coronidem pervenit, tanta pulchritudine conspicua, ut decora facie sua tacitam quandam venerationem & reverentiæ sensum ingredientium animis afflaret. Tam speciosæ conchæ sola gemma sua decrat, quæ perfectè
orna-



Scenographia nostri Collegii Viennensis
 1. Colossus SSS. TRINITATIS cum statuis Sandorum. 2. Imago B. V.
 MARIÆ, quæ in nostra Ecclesia magnam habet venerationem.
 3. Chorus, sub quo Sacrarium est. 4. Suburbium Josephinum.

Fr. Victor a S. Maria delin.

Jos. et And. Schmuizer sc.



ornaretur, Augustissimum nimirum Altaris Sacramentum, cui 1698.
dignè recipiendo tam exquisitæ venustatis ædificium affurrexerat.
Ardens proinde cunctos incefferat desiderium Eucharisticum
DEUM e veteri ædícula ad novum hoc, magnificumque San-
ctuarium quamprimùm transferendi. Id, ut tantò majore splen-
dore, ac majestate perageretur, Augustissimus LEOPOLDUS I,
Romanorum Imperator cum Serenissima Domus Austriacæ Fami-
lia ad condecorandam functionem invitatus fuit. Congratulabun-
dus excepit Augustissimus Cæsar hunc nuncium, & sequentem
Dominicam, diem nimirum octavam & vigesimam mensis De-
cembris, Festo Sanctorum Innocentium Martyrum consecratam,
hujc solemnitati celebrandæ præfixit. Adornabatur confestim no-
vi templi propylæum variis symbolis, hieroglyphicis, emblema-
tibus, inscriptionibus, & carminibus: virentibus ramis bracteato
metallò nitidi inferebantur limbi ad instar auri coruscantes, om-
nia demum intus & foris pretiosis palliis, peristromatibus, pi-
ctis Sanctorum tabulis, artificiosisque floribus tam ad cœlestis Re-
gis, quàm terrestris Principis Augustam Majestatem excipiendam
religiosissimè componebantur.

Statuitur dies
Translationis.

Ornatus tem-
pli.

II. Statuta itaque die Celsissimus Princeps Ernestus Episco-
pus Viennensis Pontificali cultu amictus, & frequente Ecclesia-
sticorum ministrorum turba stipatus in veteri Sacello Augustissi-
mi Cæsaris adventum opperiebatur, qui & ipse paulò post adfuit
cum Serenissimis Archi-Ducibus Austriæ CAROLO nimirum Glo-
riossissimo hodiè Romanorum Imperatore & D. MARIA ANNA
nunc Lusitanæ Regina ejusdem Sorore. Excepti sunt consuetis
ritibus ab Antistite, nostròque religioso cœtu, iisque antiquam
ædiculam ingressis protinùs huic celebritati initium datum fuit:
Celsissimus siquidem Princeps Episcopus Viennensis levatâ Hiero-
thecâ Ecclesiasticum Hymnum *Pange lingua* devotè intonuit,
quem dum aulici phonsæi dulcifona modulatione continuarent,
& palatini tubicines læto tubarum tympanorùmque clangore ex-
ciperent, longo, decentique ordine instituta est supplicatio per
substratas in via tabulas ad novum templum, stante a latere trans
viam in armis Prætoriana militia. Primum agmen in hac sacra
pompa ducebat nostra religiosa Communitas, quæ ardentes ce-
reos in manibus gestans cœnobii crucem modestè sequebatur.
Hanc excipiebat Celsissimus Princeps Episcopus (præcedentibus
& comitantibus Ecclesiasticis Ministris) Augustissimum Eucharis-
ticæ Sacramentum deportans sub spectabili, & ad artis amussim
elaborata umbella, cujus fulcra primi Cæsareæ Aulæ Proceres su-
stinebant, nobiles verò Ephebi daduchorum munere functi flam-
mantibus facibus utrumque stipabant latus, quorum vestigia pre-
mebat Sedis Apostolicæ Nuncius: indè Serenissimi Principes Ar-
chi-Duces CAROLUS & MARIA ANNA incedebant, quos po-
nè sequebatur Clementissimus Noster LEOPOLDUS I. Romano-
rum Imperator: universi lucentes faces manibus præferebant,
singularem in Augustissimam Eucharistiam affectum, qui Serenissi-
mæ Domui Austriacæ proprius est & peculiaris, hóc pietatis

Translatio
SS. Sacramen-
ti ad novum
templum.

Processio.

1698. officiô testificantes. Demum cæteri Cæsaris Palatini, cives & promiscua plebis multitudo circumfusis ex utroque latere Cæsareis Satrapis & hastiferis solemnem hunc ingressum comitabantur. Ardentium candelarum incredibilis numerus micante suo fulgore spectantium oculos reverberabat, & incensa thymiamata fragrantiam latè diffundebant, ut nihil ad devotionis sensum acuendum, nihil ad solemnitatis magnificentiam augendam desiderari potuisse videretur.

Translationis
solemnitas.

III. Cùm ad novum templum post ducentorum ferè passuum periodum perventum fuisset, Augustissimum Eucharistiae Sacramentum in pretioso folio multorum inter radiantium cereorum splendorem in Ara principe stationem obtinuit. Augustissima Familia in peculiarem, sibi que paratam concessit orchestram, ut sermonem de pulpito audiret, quem in Castellano idiomate P. Josephus a Matre DEI Commissarius Generalis & cœnobii hujus Viennensis Præses peroravit. Concione ad finem perducta Celsissimus Princeps Episcopus solemnè ritu sacram Liturgiam peregit, Palatinis musicis ad Ecclesiasticum ritum artificiosissimè concinentibus. His peractis, postquam tempus aliquod inter privatas preces effluxisset, Augustissimus Imperator cum Serenissimis Archi-Ducibus cœnobii triclinium, e Cæsarea penudapibus opiparè instructum, accessit, noster conviva futurus, & in nostra communitate pransurus. Appositis igitur in mensa paululum eminentiore ferculis P. Commissarius Generalis ad temporis ritum benedictionem præoravit, respondentibus in ordine Fratribus, jussusque postea Augustali mensæ (gratia, non nisi Regibus & Summis Imperii Principibus aliquando concessa) affidere, humiliter obtemperavit, circumstantibus aulæ Proceribus, & inservientibus pro officio Ministris. Religiosi cæteri suis in mensulis solita occupantes loca ibidem modestè, ut par erat, magnoque silentiô, juxta præscriptum sacrae Regulæ nostræ, exigente idipsum quoque tanti Hospitis Majestate, resiciebantur. Sumptô jam aliquô cibo P. Commissarius Generalis assurgens e poterio in sanitatem Sacratissimæ Majestatis stans bibit, & eadem reverentiæ formulâ Serenissimis Archi-Ducibus per intervalla idem urbanitatis officium exhibuit. Responderunt vicissim pari civilitatis reciprocatione Serenissimi Convivæ. Per decursum prandii Augustissimus LEOPOLDUS, ut erat ingenii cultissimi, & ad res omnes mirè attenti, quærebat nonnulla ex assidente P. Commissario Generali de Regulis, de Legibus & Statutis Ordinis: cui ille ingenuâ modestiâ ad singula interrogationis capita candidè semper respondit.

Cæsar cum
Archi-Ducibus
nobiscum
prædet in
triclinio.

Interrogationes
Augustissimi.

Post meridiem.

Concio.

IV. Absolutô prandiô Gratiarum actiones bonorum Largitori Numini peractæ, remotisque mensis non longior intercessit mora, dum horâ constitutâ Augustissima Familia sese rursus ad odeum templi contulit. Undante itaque jam fidelibus populis templo nostro, & innumeram affluentium Nobilium, civiumque multitudinem vix capiente alteram concionem P. Isidorus a Visitatione Ordinis nostri Religiosus patrio idiomate ex ambone per-

peroravit. Demum Celsissimus Princeps Episcopus Viennensis Pontificalibus vestibus ornatus inter assistentem sacrorum Ministrorum turbam vespertinas laudes inchoavit, quas Cæsarei Musici suavissimis iterum modulis resonantes integrè decantârunt. Atque hęc pactò functio adedò solemnitas, & in omne ævum memorabilis ad colophonem pervenit. Sequenti triduò, ut accurrentis undique populi devotioni fieret satis, & Divinæ Majestati pro templi structura cumulatiores persolverentur gratiarum actiones, eadem solemnitas, minore licèt pompa continuata fuit, quâ annus octavus & nonagesimus hujus sæculi pretiosâ veluti gemmâ obsignatus in antecedentium temporum seriem elapsus est.

1698.

Vesperæ.

Per triduum
continuatur
solemnitas.

C A P U T VIII.

*Illavie Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum
æquè in novum Sacellum transfertur.*

I. **A** Nnus CHRISTI DEI HOMINIS millesimus sexcentessimus nonagesimus nonus, undique magnus, Nostræque Disca-
ceatæ Familiæ Sæcularis, eodem Eucharistico munere atque cultu, quò Viennæ præcedens desit, Illavie, inferiore licèt splendore ac apparatu, non impari tamen pietate, incepit. Hęc solemnitas licèt cum priore in quibusdam circumstantiis magnam affinitatem habeat, quia tamen pro locorum diversitate & personarum conditione etiam in aliquibus ab ea discrepat, aut certè diversum quid refert, pio Lectori non ingratum fore reor, si succinctam ejusdem Sciagraphiam subjecero.

1699.

Annus sæcu-
laris.

II. Kalendæ igitur Januarii cœnobio ad commodam habitationem jam adaptatò, & sufficiente Religiosorum numerò referatò, paratòque in medio claustris nitidò Sacellò ad Translationem Sacratissimæ Eucharistiæ proceditur. Rebûs omnibûs ritè dispositis, pridiano occidentis anni vespere, ac sequenti nascentis auroræ & novi anni luce a superiore turris pergula (quæ tunc stetit adhuc facta tecta) ad quatuor mundi partes tubis tympanisque instans festivitas promulgata fuit. Ad hanc solemnitatem majore pietate celebrandam ex omni latè vicinia plurimi convenerunt peculiariter invitati, & imprimis quidem Illustrissimus Dominus Nicolaus Comes Illieshastus, inclyti Comitatus Trenchinienis Supremus Comes, & Illustrissima Domina Elisabetha, nata Comes de Ballassa, ejusdem lectissima Consors, præcipui videlicet hujus solemnitatis Patroni, utpotè quorum profusâ magnificentiâ Festum peragebatur. Confluxere pariter Admodum Reverendi diversorum circumjacentium oppidorum Curiones, Ecclesiarum Sacerdotes, & Illustres primæ Nobilitatis Viri non pauci, qui omnes in cœnobio recenter constructo comiter, ac perquam officiosè sunt excepti.

Nobilium in-
vitatio & con-
curfus.

1699.

Translatio-
nis solemni-
tas.

Processio.

Heterodoxi
ad veneratio-
nem sacro-
rum permoti.

III. Duabûs ante meridiem horis Reverendissimus Dominus Joannes Frideczkius Præpositus B. MARIE Virginis de Rayk, Cathedralis Ecclesiæ Nitriensis Canonicus, Archi-Diaconus Trenchinienfis & Curio Illaviæ, Pontificali ornatus Infulâ, lituôque Ecclesiasticô, assistentium ministrorum frequentiâ circumfusus, & spectabili plurimorum Sacerdotum ac Nobilium Virorum coronâ vallatus processit de novo Sacello per viam multis pinis (arborum hoc genus est perpetuo virore superbum) e vicino nemore mutuatis, consistam. Porrò in patenti arcis foro stabat ex una parte centum armatorum militum cohors, quæ hyberna stativa Illaviæ & vicinis in locis obtinuerat, in aciei ordinem digesta: ex altera verò Illaviensis Magistratus, cives & opifices cum suis signis & labaris. Ex hoc itaque loco Supplicatio egressa perrexit ad antiquam ædem exterioris arcis, in qua Venerabile Eucharistiæ Sacramentum hæctenus asservatum fuerat. Animatis mox luce facibus, cereisque in comitantium multitudinem distributis, dato thure Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum levatum est, ac inter Musicorum concentus, tympanorum tubarumque clangores, omnibus campanis, tam in Parochiali Ecclesia, quam nostra ad publicam hilaritatem resonantibus eadem prorsus viâ in paratum novum Sacellum reversi sunt. Præcedebant opificum Collegia cum Illaviensi Magistratu, sequebatur prælata cruce religiosa nostra Communitas solitâ modestiâ progrediens, ponè Admodum Reverendorum hospitem Sacerdotum agmen, quibus permixti ambulabant concinentium Musicorum chori; Reverendissimus demum Præpositus & Curio cum Ministris sub umbella Sacram deferens Eucharistiam gradiebatur, quem excipiebant Illustrissimi Comites, festivitatis hujus Patroni, aliique Perillustres & Prænobiles Hospites cum promiscua plebe. Ad destinatum ut perventum est locum, Sacratissima Eucharistia in pretioso folio, crebris undique luminibus, veluti totidem radiantibus sideribus circumsepto, fuit collocata. Tum signò datò in Tesseram ad excitandum majus gaudium per dispositam militum aciem bombardæ (*Salve* vocant) explosæ, resolutæque ingentem edidère fragorem, quem magnis excessionibus augebant crebriora æneorum tormentorum & mortariorum fulmina, per intervalla in Eucharistici Numinis honorem detonantia. Perculit hæc res Illaviensium incolarum animos, quibus nunquam prius simile quid videre obtigit, eosque tenero quodam venerationis sensu imbuit, præcipuè heterodoxos, qui coram aderant, & insolitum hoc spectaculum attonitis oculis considerabant; magnificentiâ siquidem Ecclesiasticorum rituum stupefacti, & Catholicorum mysteriorum Majestatem suspiciebant, & ingenuè fatebantur, se quodam devotionis allapsu, aut impulsu animos continere non potuisse a pleno venerationis affectu. Liturgiæ solemnia idem Reverendissimus Præsul peregit, inter quæ ad Sacratissimæ Hostiæ elevationem secundò tormenta ænea & mortaria reboavère; & tandem tertio, dum absoluta re sacra Hymnus Augustino-Ambrosianus fuit decantatus. Demum Reverendus Dominus Joannes Simonovicz

Paro-

Parochialis Ecclesiæ Dubnicensis Curio celebris sui temporis Ecclesiastes ad circumstantem concionem vernaculo idiomate e suggestu eruditissimam panegyrim dixit, in qua voce sonora & præsertim efficacibus ad præfens institutum rationibus facundè persuadebat, docebat, & in auditorum dominabatur animos ad omnem pietatem propensissimos. 1699.

IV. Absolutis Divinis, ut factum devotioni fati, omnes in novum pariter concessere cœnobii triclinium, ubi prælaudatus Illustrissimus Dominus Comes lautissimum apparari jusserat prandium, in quem etiam finem ingentem vim lancium, patinarum, catinorum, aliorumque utensilium, tam ad culinam instruendam, quam ad mensas sternendas necessariorum, e suo palatio deprompserat, eaque, ne quid hujus convivii splendori deesset, Illaviam præmiserat. Illustrissima verò conjux ejus materna erga nos sollicitudine providit, curavitque, ut omnia essent munda, nitida & composita. Comes perurbanè universam hospitem multitudinem excepit pro cujuscunque dignitate singulos complexus, eosque fructibus, elixis, assis & eliquatis ferculis appositis, diversis præterea altitium & silvestrium animalium carnibus, in mensam allatis, largissimè cibavit. Stabat in promptu copiosa famulorum turba ad convivarum nutus intenta, ut singulis omnia largè ministrarent, quæcunque hospitibus placere viderent. Neque hic stetit munificentia liberalissimi Comitum, sed ad ipsos quoque Religiosos nostros se extendit; hi enim, cum illa die juxta præscriptum Regulæ (Kalendæ siquidem Januariæ eò annò in feriam quintam inciderant) a carnibus abstinerent, Illustrissimus Comes eis diversa piscium genera affatim suppeditavit, quibus & ipsi genialiter refecti fuerunt. Et ut paucis complectar plurima; famigeratissimæ illæ veterum Christianorum *Agapæ* eo die resuscitatæ videbantur: adeò nemo erat, qui communis beneficentiæ expers maneret, nemo qui ab hujus symposii participatione excluderetur: nemo denique, qui non integrè contentus abiret, & præsentis dapulitatis longam memoriam retineret. Atque hac ratione dies prima hujus anni inter festivos plausus, juba, & reciprocas congratulationes ad laudem & gloriam Omnipotentis DEI transacta fuit.

Prandium a Comitibus daturum.

Religiosi pijs sibus refectuntur.

Agapæ universis.

CAPUT IX.

Quinta Redemptio e Valachia per Illaviam & Posonium Viennam feliciter pervenit.

I. AD cumulum recensitorum gaudiorum nova accessit lætitiæ; paucis namque ab hac solemnè Translatione evolutis diebus P. Redemptor opportunè cum redemptis Illaviam pervenit. Erant equidem nonnulli civium Illavienfium, qui de Redemptione captivorum aliquid audiverant, pauci tamen id seriò crediderant, & nemo prorsus eorum hucusque simile charitatis opus conspexerat: nunc autem suis oculis usurpabant, quod obscure

Redemptio Illavie comparat.

1699. fama vulgante de captivorum Redemptione acceperant, atque adeò manibùs quasi palpabant, quod priùs ambiguum, incertumque reputaverant. Scilicet dubium evanuit, postquam Redemptorum caterva ante oculos eorum constitit. Hoc autem spectaculum Illaviensibus incolis tali occasione obtigit: P. Redemptor, ut superius *capite 5. §. 4.* annotavimus, liberatorum Christianorum agmen per Transilvaniam, indèque viâ rectâ per superiorem Hungariam duxerat: quamobrem cum via, quâ Vienne itur, exiguo diverticulò Illaviam a latere offerret, nescius adhuc, quid paulò ante in Translatione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti ibidem accidisset, datâ operâ eò contendit, quò etiam decima octava die mensis ejusdem Januarii pervenit. Hic ille pro vetusta Ordinis nostri consuetudine solemnè ritu exceptus, & in novum conobium introductus fuit: redempti verò post peractam Supplicationem per civium domos hospitalitatis causâ divisi enarrare velut testes omni exceptione majores, qualis, quantique beneficii per sacri nostri Ordinis Institutum facti fuerint participes. Sanè tot Hungari, populares eorum, quos eadem Redemptione in libertatem vindicaverat, atque adeò in facundos nostri Ordinis præcones converterat, fidem fecerunt minimè dubiam, rem ita se habere, prout priùs audiverant, & nunc oculis cernebatur. Pupugit non antea visum hoc spectaculum heterodoxorum potissimum animos, qui tam insigni nostrorum charitate compuncti eos deinceps in majori veneratione habuerunt, & faventioribus oculis aspexere.

Posonium Redemptionis in die S. Joannis Eleemosynarii.

II. Altero die ibidem dimorati recreatis ab itineris lassitudine corporibus repetito itinere Posonium contenderunt, quam illi urbem tertia & vigesima die ejusdem mensis attigerunt, in ipso nimirum festo S. Joannis cognomento Eleemosynarii, Episcopi & Patriarchæ Alexandriae in Ægypto, cujus sacrum corpus a multis sæculis hucusque incorruptum, & post cladem Mohattianam Annò 1530. Budâ metu Turcicæ invasionis translatum, Posonii in Collegiata S. Martini Turonensis Episcopi Ecclesia honorificè asservatur. Ut proinde ex peculiari dispositione Divina factum fuisse credam, redemptos captivos harum rerum immemores eo profus die Posonium tenuisse, quò hujus gloriosi Sancti festum celebrabatur, qui in sua mortali vita, ut ex actis ejus constat, quod etiam Ecclesia in Lectionibus Officii Divini testatur, crebrius captivos persolutò lytrò libertati asseruit. Credi vix potest, minùs autem verbis exprimi, quantam lætitiâ in Posoniensi populo hæc novitas excitaverit. Communis tamen gaudii sensus nostros in ea civitate existentes Religiosos largiùs inundavit, qui insperato P. Redemptoris adventu exhilarati eum prælata cruce supplicantium ritu exceperunt; etenim parili consensu Collegiatae Ecclesiæ Præpositi & Canonicorum, urbici Magistratùs & nostrorum Religiosorum solemnè processio instituta fuit ad eandem S. Martini Ecclesiam, in qua super principem aram corpus memorati S. Joannis Eleemosynarii tunc opportunè publicæ venerationi expositum prostabat, ut Divinæ Majestati debitæ persolverentur gra-

gra-

gratiarum actiones. In hoc templo decantatus fuit Hymnus *Te Deum Laudamus*. Quò absolutò P. Redemptor cum eliberatis suis ad nostrum cœnobium concessit, ibidémque aliquot diebùs a diuturnis itineris molestiis respiravit. Sequenti luce undecim e numero redemptorum captivorum, quorum alii eandem cum Luthero, alii eandem cum Calvino sectam hætenùs tenuerant, ejurato veteri errore applaudentibùs Orthodoxis Sacris Catholicis accessère. Nec defuère, qui P. Redemptoris in honorem Versus conciperent, quos inter singulariter eminuit Perillustri Dominus Christophorus Spindler urbis Posoniensis Consul, qui adventum P. Redemptoris subjectò tetrastichò celebravit, quod licèt alibi a nobis jam relatum fuerit, cùm tamen huic loco propriè congruat, non gravabor illud denuò in medium proferre, ut monumentum tanti viri amici etiam in hoc opere exstet :

1699.

Undecim redempti fidem Catholicam amplectuntur.

*Exhilarent animum laudes, Venerande Redemptor,
Quas tibi cum populo turba redempta canit.
Gloria magna Senem proles genuisse Parentem,
Quas servitutis presserat ante jugum.
Crescit honor, toto dum vulgus pectore plaudit
Posonium TRIADOS obtinuisse Patres.
Maxima, quæ superest, cœli manet ultima merces,
Quâ nos Sancta TRIAS post pia fata beet.*

Versus in P. Redemptoris honorem concepti.

Alter e domesticorum numero Patri Redemptori filiali affectu dedicavit Chronographicum, quod in Antiphonis ad Laudes Ecclesiastici Officii S. P. N. FELICIS VALESII invenit, & præsentem annum nullâ profus mutatâ litterâ exprimit, nempe: FACTVS EST REFVGIVM PAVPERI, ADIVTOR IN OPPORTVNITATIBVS & IN TRIBVLATIONE.

III. Posoniò tandem digressi continuato itinere Viennam Austriæ Metropolim, Cæsaris Sedem & Regiam, die videlicet vigesima septima jam dicti mensis appropinquârunt, solito more, ne idem sæpiùs ad fastidium recoquamus, excepti solemnibus processione Cæsareum palatium pertransierunt, ubi Augustissimæ Majestates, & Serenissimi Archi-Duces Austriæ lætis oculis, nec sinè magno solatio hoc plenum pietatis spectaculum ex editiore loco contemplati fuerunt. Solemnibus gratiarum actionibus in Cathedrali S. Stephani Proto-Martyris Basilica DEO REDEMPTORI devotissimè persolutis, ad populum e suggestu magna auditorum approbatione iterùm dixit P. Isidorus a Visitatione cœnobii nostri Ecclesiastes. Sequenti hujus mensis die, octava nimirum & vigesima Januarii, festum Apparitionis S. Agnetis Partheno-Martyris & sacri nostri Ordinis Patronæ (qua luce ante quinque sæcula & annum unum sub INNOCENTIO hujus nominis III. felicitatis recordationis Pontifice Maximo Ordo noster ex cœlesti revelatione institutus est) jucundiùs redivit anniversaria invictæ hujus Sanctæque Viraginis solemnitas, quæ universales peccatorum

Viennam pervenit Redemptio.

Concio.

1699.
Absolutio
Generalis 29.
Januarii in fe-
sto S. Agnetis
secundo.

Dedicatio
Redemptio-
nis.

P. Joannes
invitus ad-
mittit Mini-
sterium Vien-
naense.

Apoplexiâ
tangitur.

condonationes (Indulgentias plenarias Ecclesiastica phrasi eas no-
minare solemus) & absolutionem Generalem Sodalibus, Archi-
Fraternitatis nostræ Albo adscriptis, attulit, atque hęc pactō
non minùs animarum, quàm corporum Redemptio, & bonorum
operum, quæ cum gratia DEI in universo Ordine nostro fiunt,
indulta participatio fuit. Demum in patenti folio dedicata est
hęc in serie Quinta Redemptio Serenissimo Nostro Archi-
CAROLO, Austriacæ eo tempore juventutis Principi, optatissi-
mo Romani Imperii fulcro, quem nunc omnium votis expeti-
tum Romanorum Imperatorem Orbis adorat Pium, Justum, Fe-
licem, Clementem, Victoriosum.

IV. Diximus superiùs Patrem Joannem a S. Augustino ob
tot aliorum renunciationes anno præcedente cœnobii Viennensis
Ministram electum fuisse: verùm bonus ille Senecio, plurimîs la-
boribûs attritus (tertia quippe jam vice munus Redemptoris obi-
verat) cùm Viennam redux intellexisset, quid Superiores de se
peregrè agente, statuissent, nihil non egit, ut tantum onus a
suo capite amoliretur. Enixissimîs itaque precibûs apud Majores
Ordinis egit, ut exemptionem ab ingrato honore impetraret.
Precibus addidit lacrymas, vires exhaustas & fractam valetudi-
nem obtendens, quibûs se tanto muneri imparem dicitabat. Ad-
didit præterea, se ob ingravescentem ætatem ad æternitatis ja-
nuam consistere, ut proinde nihil magis in votis haberet, quàm
anteactæ vitæ reatus plangere, & in id unicum incumbere, qua-
liter se ad beatum ex hoc mundo transitum disponere posset. Sed
cùm videret, Superiores obfirmatis animis in eadem sententia per-
sistere, seseque adeò causam deploratam agere, humeros tand-
em, licèt invitus, oneri submitit, & Magistratum, quem nul-
la tergiversatione amovere potuerat, parendi studiò accepit, ut
ad mortem usque, quam præsaga mente sibi citò superventuram
haud vanè divinaverat, se filium obedientiæ exhiberet. Igitur
ineunte mense Februario Conventûs regimen in se suscepit, quod
tamen brevi tempore retinuit, a DEO paulò post ad melio-
rem vitam evocatus, cujus felicitatis arrhabonem accepit, quan-
do in Septembri anni currentis apoplectico humore tactus conci-
dit; licèt enim non eòdem statim momentò animam egerit, vi-
tam tamen postea ultra sex menses non produxit, ut inferiùs la-
tius visuri sumus.

CAPUT X.

*Conventus Posoniensis gravissimîs jaçtatur difficul-
tatibûs, diplomate tandem stabilitur, & Ordo novis
Privilegiorum Litteris munitur.*

Cura stabi-
liendi domum
Posonii.

I. **H**Æc inter blandioris fortunæ lenocinia, quibûs præsens
annus nobis arridere videbatur, atrox quædam tempe-
stas (ut lætis nonnunquam succedunt tristitia & prosperis adversa)
in exitium Posoniensis domûs nostræ multorum molimine concitata
fuit.

1699.

fuit. Præfecturam hujus Conventus administrabat Pater Franciscus a Matre DEI, qui rei familiaris angustiis obsessus assiduus fodicabatur curarum stimulis, quod hæc Fundatio nullis vallata certis præsiidiis adhuc quasi in aëre pendere videretur, atque adeò cuius contrariorum ventorum ludibrio exposita maneret; licet enim hucusque plusquam justo cœnobarum numero domicilium præbuerit, fixis tamen censibus destituta diversorium duntaxat, aut, ut Ordinis nostri more loquamur, Residentia infirma dici poterat, non verò cœnobiium, quia nullam suæ stabilitatis obtinebat securitatem: nullum præterea Foundationis Diploma extabat, imò nec expressa quidem Diocesani facultas accesserat. Quamobrem prænominatus P. Superior omnem exeruit industriam, ut Eminentissimum Cardinalem Kolloniczium, in quo spei totius cardo vertebatur, ad suscipiendum hujus domus patrociniium idoneis rationibus induceret. Hic verò licet supplici non abnuere videretur, rem tamen longis procrastinationibus semper comperendinabat.

II. Parùm itaque aberat, quin tota spes nostra tot adversitatum fluctibus allisa naufragium faceret, præcipuè, cum ea quotidie, quorundam invidia id agente, in deterius vergeret. Ad extremum ipse quoque Cardinalis haud obscure nobis adversari notabatur, aut ut alii suspicabantur, se adversari simulabat; a quibusdam enim rogatus, ut nutantes nostri Conventus bases stabiliret, palàm edixit, se præter temporariam habitationem nihil omnino nobis Pofonii concessisse, ad institutionem autem novi in hac urbe cœnobii, ne conatus quidem dirigi oportere: itaque in alium locum nobis migrandum insinuabat Eminentissimus Princeps, Scalicium fortè, ut superius memoratum est. Instar tonitruum hæc resolutio nostrorum animos perculerat; nec etiam latebat, ex quorum officina cusum hoc fulmen in caput nostrum detorqueretur. Angebat nostros quàm vehementissimè, nec facillè digerere poterant rem adeò adversam, qualis est migrare ex urbe principe, in qua cœnobiium prægnantibus inducti rationibus instituere desideraverant, & pro quo statumando extrema quæque Ordo tentaverat, abdicando videlicet Illavienfis cœnobii non contemnendam reddituum partem. Præterea apud imos, summósque tam in Clero, quàm in populo constans opinio invaluit, nos stabilem sedem Pofonii fixuros, nec quisquam erat, qui aliud sibi persuaderet. Quòd si nunc autem subito nobis emigrandum foret, adversarii nostri facillè calumniari, & in vulgus pro summa Ordinis contumelia spargere poterant, nos urbe proscriptos, ejectos, pulsos, profligatosque fuisse, qua ratione fieret, ut cuius obrectatori crimen aliquod aut flagitium nobis affingere, & credulæ plebi obtrudere liceret. Qui verò vitam & conversationem nostram noverant, religionis & pietatis exempla probaverant, nobisque familiari consuetudine hætenus adhæserant, quid, iodes, dicturi erant, si audiverint, Purpuratum Ecclesiæ Principem, Ordini aliàs addictissimum, quorundam susurronum calumniis in transversum actum, in bonos

Cardinalis
adversatur.Indecora nobis
videtur
migratio.

1699. & religiosos Patres, Reipublicæ utiles, omnisque culpæ expertes tam severè animadvertisse? Et Proh! quæ inde profiliunt scandala? quæ impingetur ignominia? quæ convitia sequentur insonantes? & plerâque alia, ut viva & concitata imaginatio ex odio aut similtate fabulam amplificat.

Spes in solo
DEO.

III. Nemo facile reperiendus sperabatur, qui afflictissimam causam tueri, aut Principem in consiliis suis constantem a sententia revocare auderet, quòd quisque aliorum exemplò nil nisi aridam repulsam se reportaturum metueret. Patres itaque, cum prolixè agnoscerent, actum esse & conclamatum de auxiliis humanis, ad Divinum auxilium confugerunt, crebrisque suspiriis, lacrymâs, precibus, spontaneis pœnitentiis & corporis afflictationibus DEI misericordiam, in cujus manu sunt corda Principum, implorârunt, seseque totos filiali fiduciâ in divinam voluntatem resignârunt, firmissimè persuasi, illud solùm proditurum, quod ad majorem fuerit DEI gloriam & honorem.

Subito in melius mutatur omnia.

IV. Sed quoniam Eminentissimus Princeps ad proximè instantem sanctiorem hebdomadam Posonium venturus ferebatur, P. Præses eum officiosè salutare, ejusque gratiæ, favente Numine, se insinuare decrevit. Mox itaque, ut intellexit Eminentissimum Cardinalem advenisse, confestim ejus alloquium petivit, eique felicem adventum est gratulatus. Præter spem autem boni Patris evenit, ut vultum Cardinalis mirè exporrectum, hilarem, serenûmque observaret, a quo se crediderat torva fronte exceptum iri. Inexpectatâ igitur Principis benevolentia erectus, cœpit pauca quædam per ambages de fundatione nostri cœnobii Posoniensis sermoni immiscere: Cardinalis autem, qui non ignorabat, quorsum ista tenderent, verba ejus interceptit, ac benè sperare jussit, pollicitus se apto tempore omnia facturum, quæcunque ab ipso desiderare possemus: addidit autem, se non alia de causa hætenus in præsentis negotio tam lentis passibus incesse, nisi ut adversariorum ferociam cicuraret, eorumque erga nos aversionem temporis diuturnitate mitigaret. P. Superior auditò Eminentissimi Cardinalis erga Ordinem nostrum studiò, grates, quas grata mens unquam referre potest, maximas ei persolvit, & in silentio ac spe feliciorum rerum vicissitudinem præstolando a Cardinali discessit.

Stabilitur
Fundatio.

V. Sed cum interim anxia semper mente vereretur, ne longiore dilatione nonnihil calor remitteret, aut affectus refrigeret, cum bono Numine post modicum tempus Cardinalem secutus, Viennam est profectus, ut impetratò alloquiò rem pluribus urgeret. Equidem ille tunc solùm speraverat, se simplicem Ordinarii facultatem condendi cœnobium in urbe Posoniensi consecuturum, in qua jure duntaxat hospitii ad hoc usque tempus diversati fueramus, satisque magnum operæ pretium fore autumaverat, si vel hoc tantum evinceret. Sed ô miram mutationem! Hic sanè evidenter patuit, nulla consilia hominum quantumvis sapientum & potentum adversus Divinam voluntatem prævalere; etenim Benignissimus Princeps non tantum hanc facultatem

cu-

cumulatissimè concessit, nostrumque cœnobium aliis ejusdem civitatis monasteriis aggregavit, connumeravit & adscripsit, adjectis omnibus gratiis, privilegiis, exemptionibus tam spiritualibus, quàm temporalibus, quibus alii conventus de jure, vel consuetudine gaudere, frui, ac potiri consueverunt; verùm etiam summam quatuor millium florenorum, quam in supra memorata domo Posoniensi locatam habebat, ad coëmendum alium cœnobii situm pleno jure per modum cessionis nobis liberalissimè donavit. Hujus Foundationis Diploma, cum plura rationum momenta & clausulas Lectori exponat, lubens subtexo, estque illud ipsum, quod nunc sequitur:

1699.

NOS LEOPOLDUS MISERATIONE DIVINA S. R. Ecclesia, Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis a Kollonicz Archi-Episcopus Strigoniensis, Loci & Comitatus ejusdem Supremus & Perpetuus Comes, Primas Regni Hungariae, Legatus Natus, Summus Cancellarius & Secretarius, S. Joannis Hierosolymitani Ordinis Prior Egra, ac Malberga, Sacrae Casareae, Regiæq; Majestatis intimus actualis Consiliarius, &c. Memoria commendamus tenore presentium significantes, quibus expedit, universis. Quòd cum Nos continuè CHRISTI Redemptoris Nostri monitis admoneamur & factis, ut inter reliqua Misericordiae opera, ea speciali sollicitudine promoveamus, quae ipsius Domini Salvatoris Nostri, in terris versati, imitationem commendant, suaeq; excellentissimae Charitatis, orbi redimendo exhibita, promptiorem praeserunt speciem, eamque haud obscuram Reverendos Patres Ordinis Sanctissimae TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione captivorum (qui non pridem ad Regnum Hungariae per Praedecessorem nostrum, pie memoriae, Georgium olim Szecheny Archi-Episcopum Strigoniensem fuerunt introducti) ex munere praestitisse, praesertim erga pauperes in dira truculentorum Christiani Nominis hostium captivitate detentos, & multiplici eorundem sancti & laudabilis Instituti habito fructu cum totius populi adificatione & solatio non semel sumus contemplati. Tale ergo, tamque grande bonum cupientes iidem per ampliores Orbis Christiani plagas fidelibus populis diffundere, singulariter verò in Apostolicum Hungariae Regnum, commodius in domorum amplificatione exercere, humiliter nos exposularunt, quatenus in Libera ac Regia etiam Civitate Posoniensi illis facultatem fundandi de nostra Authoritate impertiri dignaremur. Nos autem (qui aliàs eos in integrum temporali fundatione stabilire defactò impedimur) re in condignum respectum, maturamque considerationem sumpta, illos interea saltem Paterna

Diploma
foundationis
Posoniensis.

1699.

nostra Protectione fovere, aliquoque adminiculo instruere, votis eorundem omni, quò possumus, meliori modo annuendum duximus. Ideoque Nos premisso pio eorundem zelo, & pro bono etiam publico, hocce praesertim in Hungaria Regno, tanquam totius Christianitatis Antemurali, continuisque bellorum cum naturali hoste Turca vicissitudinibus, vastationibus & captivationibus utprimùm exposito, perquam utili & haecenus necessario redimendorum captivorum Christianorum sancto Instituto benignè inclinati Reverendos Patres biennio ante in praesata civitate Posoniensi extra portam S. Michaëlis residentes, eorumque Superiores quovis tempore & loco perpetuò firmos & stabiles esse per praesentes facimus, ac ipsorum Residentiam quocunque alio fortè pro majori commodo extra eandem urbem translocandam non modò Authoritate Nostra Metropolitana inter reliqua ejusdem Civitatis Monasteria deputamus, connumeramus & adscribimus, ac ab omnibus in perpetuum talem reputari, connumerari & haberi volumus cum omnibus Gratiis, Privilegiis, & Exemptionibus, quibus tam spiritualibus, quam temporalibus alii Conventus de jure vel consuetudine gaudere, frui & potiri consueverunt, verùm etiam pro majori eorundem firmitate Summam quatuor millium florenorum Rhenensium, quam supra domum extramoenialem, vulgò Pongracianam sic dictam, quam ipsi Patres nunc inhabitant, in forma oppignorationis habemus, plenariè, ac integrè ipsorum usui, possessioni & dominio cum pleno jure per modum Cessionis donamus, & pro coemendo sibi in futurum uberiori & ampliori, commodiorique loco elargimur, firmiter Nobis futurum pollicentes affectum & gratitudinem eorundem Reverendorum Patrum praesenti nostro beneficio apud Divinam Bonitatem corresponderum. Dabantur Vienna Austria die trigesima mensis Junii Annò Domini millesimò sexcentesimo nonagesimò nonò. Archi-Episcopatus Nostri Annò Quarto.

Aliud oritur
submoven-
dum obstac-
lum.

Circa colligendas elemosynas.

VI. Tantis curarum fluxibus feliciter tandem sedatis e vestigio nova quaedam, neque mitior successit tempestas, quàm veluti ad Lydium lapidem ejusdem P. Superioris probata fuit constantia. Nonnulli siquidem ex sacris Mendicantium Ordinibus, ut solerti indagine animum Eminentissimi Cardinalis Archi-Episcopi in nostri coenobii fundatione obfirmatum assecuti fuere, cum desperarent, ejus constantiae Principem a concepto proposito dimoveri posse, ad aliam conversi sunt machinam, quàm jugulum nostrum peterent: persuadere nimirum conabantur Eminentissimo Cardinali, ut nobis non alia conditione novi coenobii excitandi facultatem impertiretur, quàm ut juri elemosynas corrogandi in perpetuum renunciaremus. Modicæ sanè fidei partus fuit

fuit hæc intempestiva suggestio, quasi verò abbreviata esset manus Domini, aut restricta providentia, nec aliud panis fragmentum in Regno alias fertilissimo superesset ei, qui S. Paulo primo Eremitæ ad S. Antonii Abbatis hospitis adventum corvi, voracissimæ volucris, condipromi operâ militibus suis in deserto duplicavit annonam: verè pius, verè misericors. Hæc propositio Piissimi cæteroquin Principis mentem adeò occupare videbatur, ut tota animi propensione in eandem sententiam abiret, præcipuè, quòd desideraret nostris adversariis in aliqua saltem re gratificari, quos concessam nobis cœnobii ædificandi facultatem ægriùs ferre noverat. P. Præses noster, postquàm de voluntate Cardinalis certior factus fuisset, nihil omisit, ut Eminentissimum Principem ab hoc proposito averteret, quò nihil aliud intendebatur, quàm ut citò rursus in ruinas subsideret, quod ipse priùs tanta benignitate ædificaverat. Ostendit itaque Pater Cardinali, quàm hæc res foret perniciofa non solum Posoniensis Fundationis progressibus, verùm etiam toti Ordini nostro in Regno Apostolico, qui hoc sufflamine injecto vix spem aliquam ulterioris propagationis reliquam haberet: exposuit eidem ulterius, quòd talis restrictio non solum juribus & privilegiis sacre Religionis nostræ adversetur, sed ob exempli efficaciam in omnium etiam aliorum Mendicantium Ordinum gravissimum vergat præjudicium.

VII. Ut autem sensum, animùmque Eminentissimi Cardinalis justissimæ huic nostræ causæ magis conciliaret, altera die secum attulit Bullare Ordinis Volumen, e quo Apostolicas ac urgentissimas produxit, & indicavit Litteras, quæ non solum in eos severissimas censuras & pœnas Ecclesiasticas fulminant, qui perfrieta fronte eleemosynarum charitatem Ordini nostro impediunt, contravertunt, aut disputant; sed etiam in illos, qui nobis in stipe quærenda suò auxiliò non assistunt, aut suum, quando possunt, favorem non exhibent. His ultro citròque probatis Eminentissimus Princeps, etsi nonnihil de sua opinione remitteret, ne tamen adversæ parti nihil omnino deferre videretur, voluit, ut hæc laxa nimis, amplaque potestas in aliquo saltem restringeretur. Cui P. Superior pari rursus candore, ac modestiâ reposuit, talem limitationem non modò communi cæterorum Religiosorum bono officere, sed potissimum in captivorum Christianorum irreparabile damnum vergere, quorum redimendorum gratiâ Ordo noster a Sede Apostolica tot privilegiis & immunitatibus dotatus fuisset: hac autem ratione fieret, ut miseri illi sub inmanissimo Turcarum jugo gementes magnò subsidiò tertiæ partis, quæ ab omnibus pro sustentatione nostra collectis eleemosynis pro eorum redemptione vi sanctæ regulæ nostræ detrahi debet, crudeliter fraudarentur: irritam profectò ac nullam hujusmodi dispositionem fore, quâ paucorum pusillanimitati condescenditur, aut importunæ sollicitudini obviatur, dum urget præsentior pauperum captivorum necessitas, quibus inter immites barbaros nullum ferè aliud suppetit præsidium.

1699.

Bullarium
nostri Ordinis
producitur.

Causâ capti-
vorum res ur-
getur.

1699.
P. Praeses in
sententia sua
firmus confi-
sit, & obtinet
plusquam
speraverat.

VIII. Nec illud silentiô prætereundum censeo : a colloquio Eminentissimi Principis digressus P. Superior incidit fortuitò in quendam ejus familiarem hujus rei benè conscium, & præ foribus stantem. Hic cum de successu præsentis negotii quæreret, P. Superior jam factus audentior tale ei responsum dedit, quod Eminentissimo insinuatam voluit; dixit enim, se nunquam commissurum, ut suâ desidiâ, aut negligentia posteris tam noxium exemplum relinqueretur, quale est consentire in obligationis clausulam, quæ cederet in tam grande captivorum præjudicium, se potius, quinimò & totam Religionem nostram non duntaxat jam gratiosè concessam quatuor millium florenorum Summam, sed etiam plura (tum absit verbo temeritas) resignaturum. Intellectò hòc Patris propositò Eminentissimus Princeps, etsi perculsus, liberiùs locutum laudavit; erat enim & ipse aliàs Apostolicarum Constitutionum Vindex acerrimus, ac assertor perpetuus, unde a meditata restrictionis sive limitationis opinione longissimè recessit; quinimò plura, quàm sperare ausi fuissimus, liberalissimè superaddidit, liberam videlicet, & illimitatam per universum Regnum Hungariæ corrogandarum eleemosynarum facultatem, quas in tam grande pauperum captivorum Christianorum solatium, juvamen & remedium noverat redundare. Ad hanc facultatem adeò amplam & incircumscripam nobis concedendam, ut ipse Cardinalis ingenuè fatetur, ait, se impulsus fuisse, quòd Privilegia irrefragabilia, & Bullas Apostolicas nobis præ cæteris Ordinibus faventissimas perlustraverit, cujus scripti publici hic tenor est:

Amplissima
facultas colligendi eleemosynas per totum regnum Hungariæ.

NOS LEOPOLDUS S. R. Ecclesie Presbyter Cardinalis Tituli S. Hieronymi Illyricorum, Archi-Episcopus Ecclesie Metropolitanæ Strigoniensis, Loci ejusdem & Comitatus Supremus, ac Perpetuus Comes, &c. Divinis per Oraculis, ac Christianæ pietatis officium, charitatem sectari censemus, cujus promovendæ studio cum sanè ex institutione in publicum bonum Reverendi Patris Ordinis Sanctissima TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione omnes suos conatus in pauperum captivorum, barbarica servitute mancipatorum, levamen impendant, & præsertim cum præfatorum Patrum Religio a tot sæculis in universa DEI Ecclesia sit per Summos Pontifices inter Mendicantes connumerata, atque eorundem Privilegiis præmunita, ut per omnes Christianæ Reipublicæ Provincias ad tam pium opus perficiendum, ipsorumque congruam sustentationem Religiosorum habendam eleemosynas emendicare, fideliumque auxilium implorare liberè & absque contradictione possint, ac valeant, idq; ipsum a Nobis confirmari, Nostraque facultate ratum haberi in Regno Hungariæ humiliter postulaverint; idcirco tenore præsentium omnibus pro memoria damus, quòd, ubi

eorundem Bullas & Privilegia irrefragabilia attentè revidimus & 1699.
 perlustravimus, levamenque pauperibus captivis apud Ecclesia im-
 manissimos hostes commorantibus per ipsos jugiter offerri solitum,
 non sine cordis jubilo perpendimus, non obstantibus aliorum Ordini-
 num privilegiis, non modò licentiam, facultatèque impertimur,
 ut per univèrsum Regnum Apostolicum in perpetuum mendicationem
 instituere possint, sed omnibus Christi fidelibus tam Ecclesiasticis,
 quàm Secularibus predictos Reverendos Patres recommendatos ha-
 bere cupimus. In quorum fidem has manu propria subscriptas, &
 consuetò sigillò Nostrò roboratas expedire demandamus. Vienna Au-
 strie die trigesima Junii Annò millesimò sexcentèsimò nonagesimò
 nonò.

(L.S.)

LEOPOLDUS CARD. & KOLLONICZ

Archi - Episcopus Strigoniensis.

IX. Atque hunc tandem finem adversariorum nostrorum
 impugnationes habuerunt, quorum oppositionibus feliciter de-
 victis hæc immitis tempestas sensim evanuit, & serenior cœli fa-
 cies rebus nostris affulgere cœpit, ut proinde nos ipsos haud exi-
 gua incesserit admiratio, quomodò id unica die paratum fuerit,
 quod priùs non nisi post multos annos sperare poteramus. Cæ-
 terùm illi, qui ex Clero, populòque sacrae Religionis nostræ stu-
 debant, hoc beneficium Eminentissimi Cardinalis erga nos bene-
 volentiæ imputabant, nobisque palmarem aggratulabantur vi-
 ctorem. Non possum a me impetrare, quin grati animi causâ
 istud etiam adjiciam, multos videlicet Proceres Hungariæ in tur-
 bulentissimo illo tempore nostrum patrociniū palàm in se susce-
 pisse, nobisque in ea rerum difficultate haud pauca subsidia & so-
 latia suppeditasse. Hos inter eminèntè præsertim Excellentissimus
 Dominus Nicolaus Comes Palfius, qui ab initio Posoniensis Fun-
 dationis, & maximè, cum munus *Palatini*, quò nomine Hunga-
 ri Pro-Reges suos indigitant, administraret, singularem se nobis
 Benefactorem semper exhibuit. Id ipsum fecit piæ memoriæ Il-
 lustrissimus Dominus Christophorus Comes Erdædius sub idem
 tempus Supremus Hungarici Regni Camerae Præses, quos præci-
 puos peculiaris observantiæ debitò recolendos duxi, ac revereri
 deinceps cupio. *Reddit enim beneficium, qui libenter debet.* Ut Se-
 neca scribit ad Ebucium Liberalem, *Libro 1. de Beneficiis.* Næ sin-
 gulare gratitudinis officium exposcunt eorum merita, qui rerum
 primordia subsidiis fovent, & augmenta succollant, ut cœpta
 feliciter ulterius provehantur.

Amicorum
congratulatione
de his bene-
ficiis acceptis.Fundationis
præcipui Bene-
factores.Seneca de
Beneficiis lib
1. ad Ebu-
cium Libera-
lem.

1699.

CAPUT XI.

Annus Sæcularis sacræ nostræ Discalceatæ Familie : Ordinis Institutio & secuta restauratio breviter recensentur. Jubilei Solemnitas celebratur.

Antiquitas
S. N. Ordinis.

I. **O**Rdo Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum velut arbor in medio Paradisi, hoc est in Ecclesia DEI plantata hætenus totis jam quingentis & unò annò floruerat, si præsentem annum exeuntis sæculi, nonagesimum videlicet nonum ejus primordiis adjicias, & in varios divisus ramos inter alternantes diversorum eventuum vicissitudines viridantes frondes suas, multisque fructibus onustas latè per mundum extenderat, pro quo insigni beneficio Regi Sæculorum Immortali immortales gratias confitemur. Cæterùm Familia nostra, quæ Discalceata nuncupatur, vigesima die Sextilis ipsò nimirum festò Doctoris Melliflui S. Bernardi Abbatis hòc annò primum a suo exordio compleverat sæculum.

Institutio
Ordinis.

II. Rem ut altiùs, & ab origine repetamus, Ordinis epochas minimè dubias brevì tabulà libet intueri: Annus erat a nato Redemptore nonagesimus octavus supra millesimum centesimum, cùm Proto-Parentes Sanctique Fundatores nostri JOANNES de MATTA Doctor Parisiensis & FELIX de VALOIS Regalis Profapiæ Anachoreta in deserto Brodeliæ crebris e cælo admoniti prodigiorum ostentis, quibus DEUS Ter Optimus Maximus eis perspicuè declaravit, Suae voluntatis esse, ut afflictæ Ecclesiæ DEI, Christi nimirum fidelibus sub diro paganorum jugo gementibus, & in umbra mortis sedentibus opportunò remediò succurrerent. Divino itaque obsecuturi beneplacito Romam ad INNOCENTIUM III. eo tempore Summum Pontificem & universalis Ecclesiæ Patrem, Pastoremque contenderunt, Apostolicæ Sedis Oraculo in proposito confirmandi. Res divinitus antea jam inspirata successu minimè caruit: INNOCENTIUS Pontifex inter Missarum Solemnia (quod etiam quadrienniò priùs S. P. N. JOANNI de MATTA Parisiis contigerat) Angeli candidis operi vestimentis, cruce rubei & cærulei coloris in pectore insigniti, & decussatis brachiis duos captivos, Christianum unum alterum Maurum, quasi alterum alterò permutare vellet, stringentis apparitione confirmatus Ordinem hunc nostrum instituit; albis vestibus eadem cruce notatis, quibus Angelum illum amictum conspexerat, Sanctos Patriarchas nostros donavit; novoque huic Ordini ob tres vestium colores a Sanctissima TRINITATE nomen imposuit, ejusdemque alumni Redemptionem Christianorum captivorum, quam illa duo mancipia luculenter innuere videbantur, impendiò velut Ordinis sui Institutum commendavit. Propriam deinde Regulam eidem Instituto congruentem scribi jussit, conscriptam examinavit, approbavit, confirmavitque Apostolicis Litteris, quarum hoc est initium: *Operante*
Di-

Sub Regula
propria.

Divinae dispositionis Clementia, &c. Datâ Laterani die decima septima Decembris Annò Incarnationis Dominicæ millesimò centesimò nonagesimò octavò. Ut proinde ab origine Ordinis nostri ad annum usque nonagesimum nonum labentis sæculi, si exactum computum inire velimus, unum & quingentos annos effluxisse deprehensuri simus. Qui plura hac de re scire voluerit, citatam Innocentii Bullam adeat, quæ in Operibus ejus toties jam recussis ubique prostat, & est apud Laërtium Cherubinum in Bullario Romano ejusdem Pontificis Constitutione prima. De hac etiam materia alii Auctores haud obscuri nominis fusè scripserunt, quos consulat, velim, qui uberiores de Ordinis nostri Institutione notitiam desiderat. Tales sunt præter *Romanum Breviarium* Marcus Antonius Sabellicus *Tom. 2. Enneade 9. Lib. 5.* Silvester Maurolicus Ordinis Cisterciensis Abbas S. Mariæ de Rupe in *Oceano omnium Religionum Lib. 3. titulo de Ordine SS. Trinitatis.* Benedictus Gononius Ordinis Cœlestinorum in *vitis Patrum Occidentis.* Didacus de Haëdo Archi-Episcopus Panormitanus in *Generali Algeri Historia.* P. Bonaventura Baro Hybernus Ordinis Minorum in *Annalibus Ordinis SS. Trinitatis.* Henricus Spondanus Episcopus Apamiarum & Continuator Baronii *ad Annum 1209. n. 10.* Hi pauci sufficiant plurimâ aliis omissis: exteros autem citare placuit; quodsi enim Ordinis nostri Scriptores allegare voluissem, tædiosæ longitudinis elenchum texere debuissem.

III. Porro, ut adhuc pauca persequare, ædificatis Domiciliis propagatus fuit Ordo primis statim sæculis in plures Orbis Christiani Provincias Hispaniam videlicet, Lusitaniam, Galliam, Italianam, Angliam, Scotiam, Hyberniam & Belgium, floruitque compluribus ubique sanctis, doctisque Viris, qui innumerabiles captivos Christianos a servitute paganorum non solum datò lytrò, sed etiam profuso proprio cruore redemerunt; multi siquidem Patres Redemptores in crebris occasionibus ex odio Fidei Christianæ vario mortis genere ab infidelibus interempti fuerunt, ut apud plures tam domesticos, quam exteros bonæ notæ Historiographos legere licet.

IV. Quatuor ferè jam transierunt sæcula ad annum usque millesimum quingentesimum nonagesimum quartum; cum IV. Idus Maji Patres ex Hispaniæ Provinciis Vallisoleti ad Generalia Ordinis Comitia celebranda congregati, Patre Didaco de Gusmann Vicario Generali per Hispaniam nomine Reverendissimi P. Bernardi de Dominicis, Majoris ac Generalis Ministri, huic Congregationi præsidente statum Ordinis, ut in similibus conventibus fieri consuevit, perscrutantes, agnoverunt, se temporum lapsu non modicè a strictiore & primæva Ordinis disciplina declinasse, cui rei præter ætatem in senium vergentem aliæ quàm plurimæ causæ occasionem dederunt, quibus etiam religiosa disciplina in omnibus ferè aliis antiquioribus Ordinum Familiis vehementius labefactata fuit; quædam autem eodem currente sæculo non pridem, nec sinè maximis difficultatibus Sanctorum DEI hominum adminiculò pristino flori & rigori restitutæ fuere. Major

Ordinis propagatio per diversa Regna.

Occasio reformandi Ordinis.

1699. itaque meliôrque pars Patrum eodem zelô mota in hisce comitiis efflictim urgebat, ut parî modô sacri nostri Ordinis rigorem pridem labefactatus sub *Recollectionis* nuncupatione aliorum exemplô quibusdam saltem in domibus restauraretur: renasci Ordinem voluere, qui aliquot sæculorum decursu consenuerat. Decretum editur, executio tamen moram patitur, differturque de tempore in tempus aliud: ad arduum virtutis iter torpet videlicet semper humana imbecillitas, veteri laxioris vitæ innumtrita consuetudini. Convenere nihilominus subinde pauci sine vario, sensûque discordi, qui rudi quâdam sciographiâ tenuem potius *Recollectionis* umbram, quàm veram germanâque *Recollectionem* expresserunt solido deficiente fundamento, donec divino motus spiritu novas ducere lineas cœpisset noster Venerabilis P. Joannes Baptista a Conceptione Vir in Ordine multis clarus virtutibus, non vulgari ornatus doctrinâ, & Apostolicus divini verbi Præco; hic enim Vallerupensi Conventui, quem Superiores, arctioris vitæ cupidis, incolendum assignaverant, præpositus Minister gravem novæ Reformationis molem in suos humeros ad instar Atlantis susceperat, & DEO vires suppeditante, strenuè semper portaverat, promoveratque, adversantibus licet diu multumque innumeris penè difficultatibus, persecutionibus, ac ærumnis, ita quidem, ut spes omnis ulterioris successus rueret, dissipari, ac evanescere videretur. Verum enim verò Vir magnanimo & Apostolico præditus spiritu statuit omnino nullis machinis cedere; nullis tentationibus succumbere, & in nullis persecutionibus animum despondere, sed de Divino auxilio confisus, decrevit arrepto semel Sanctitatis tramiti mordicus inherere, certus, etsi fractus orbis collaberetur, se tamen impavidè ruinas excepturum. Ast cum hoc negotium lentius ad ejus vota procederet, novæque identidem ex veteribus echeneides subpullarent, Romam tandem veluti ad unicum in rebus desperatis, ultimumque asylum confugit laboranti *Recollectioni* patrocinium quæsiturus: hic quoque variis conflictatus tribulationibus, omni subinde humana destitutus ope, obsistentibus plerumque contrariæ opinionis principibus, ut fusiùs in Libris chronicis aliisque Ordinis nostri monumentis legere licet, vehementissimè exagitatus fuit. Tandem cum omnia jam dissipata & conclamata esse viderentur, post octodecim mensium fastidia mirabilî Divinæ dispositionis providentiâ subito permotus CLEMENS VIII. Pontifex Maximus, qui ea tempestate Pater simul & Pastor Catholicam moderabatur Ecclesiam ad gloriam Sanctissimæ TRINITATIS Discalceatam Familiam nostram instituit: expedito Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris Diplomate die vigesima Augusti, Annô millesimô quingentesimô nonagesimo nonô. Ex quo Discalceatæ Familiæ nostræ Epochâ incipit.

Difficultates
suboriuntur.

N. P. Joannes
Baptista a
Conceptione
rem serîo ag-
greditur.

Approbata
Ordinis Reformationis
annô 1599.

V. P. N. Reformationis
vires incita.

V. Confectô sic feliciter negotiô in Hispaniam reversus Venerabilis noster P. Joannes Baptista non minoribus, quàm antea domi, forisque obseptus angustiùs cœpit Ordinis instaurare rigorem, regulæ primitivæ inducere observationem, novas hujus
Insti-

Instituti fundare colonias, ac denique verbô & exemplô plenas religionis succô progerminare plantulas, ut olim spiritûsejus hæredes & propagines evaderent. Huic ille labori indefessa sedulitate tam diu incubuit, donec Ordo veteris teporis squalore absterfo sensim in primitivæ perfectionis virorem effloresceret, in quo etiam opere consummando ad extremum usque vitæ halitum eodem semper fervore laboravit. Tandem annô millesimô sexcentesimo decimô tertiô die 14. Februarii plenus meritîs, plurimisque tam in vita, quàm post mortem claris miraculis, ejus singularem vitæ Sanctimoniam testantibus, decessit in Cordubensi cœnobio, a se non ita pridem excitato, cujus sepulchro sequens epitaphium a Fratribus Ordinis nostri ad perpetuam rei memoriam inscriptum fuit: *DEO Ter Optimo Maximo Gloria. Venerabilis Pater Frater Joannes Baptista a Conceptione Discalceatorum Primitivæ Regule Sanctissimæ TRINITATIS Institutor electus, Vir cælo dignus, & inter Apostolicos meritò numerandus. Oratione, vigiliis, abstinentiâ, paupertate, charitate & animarum zelô clarissimus. Mansuetudine & castitate Angelus. Abiit, non obiit, ubi omnia læta, ubi fausta & vera sunt gaudia, die 14. Februarii 1613. Sui Ordinis fratres Parenti Optimo lacrymîs & canticis exequias celebravêre. Facta deinde de ejus heroicis virtutibus & insignibus miraculis juridica inquisitione, omnibus ritè probatis sacros in Altari honores ab Apostolica Sede illi decernendos, eumque solemnî apotheosi proximè Beatorum Catalogo adscribendum speramus & optamus. Hæc ad pleniorum rerum cognitionem obiter inferenda operæ pretium esse duximus.*

VI. Ad nostrum igitur ut revertamur institutum: in circum revoluta centum annorum serie ab institutione nostræ sacræ Familiæ, in omnibus domibus, quæ Discalceatæ Congregationis nostræ nomine censentur, pro cujusvis facultatibus exhibita sunt publicæ hilaritatis signa, quæ in aliquibus cœnobiis totô etiam triduo tenuerunt, Madriti præsertim, Barcinonæ & Granatæ, proælo subjectis ea de re opusculis perquam eruditîs. Viennæ autem ornatâ ad condignam solemnitatem Ecclesiâ nostrâ, advocatis musicis & phonsorum choris Reverendissimus Dominus Didacus a Canvero Ordinis Benedictini Monferratensium Abbas Pragenus in *Emaus* ad aras operatus est. Luculentam e suggestu panegyrim dixit, cujus jam alibi sæpius honorificam mentionem fecimus, P. Isidorus a Visitatione. Cæteri his in regionibus Ordinis nostri conventus, quamvis numerô essent pauci, & propter rei familiaris angustias non eadem pompâ diem festum celebrare valerent, non minore tamen spiritûs exultatione testati sunt animorum suorum gaudia, pro uberrimis hæctenus a DEO perceptis beneficiis sincerissimas gratias agentes, novosque favores pro secundo sæculo a Divina liberalitate efflagitantes, certi omnino, se hujusmodi diem altera vice nunquam amplius visuros. Atque hæc est præcipua causa, cur festum S. Bernardi Abbatis, quod in vigesimam Augusti incidit, apud nos anniversaria solemnitate & oetodiali devotione, sive oetava celebretur, quia hæc

1699.

Epitaphium
ejus.

Anni Sæcularis
Solemnitas.

Madriti, Barcinonæ,
Granatæ, Viennæ.

S. Bernardi
Abbatis festum apud
nos duplex
II Classis cum
Oetava.

1699. die nostrae Excalceatae Familiae Institutio Apostolico Diplomate confirmata fuit.

C A P U T XII.

Arcis & horti Illaviensis Donatio a Caesare confirmatur.

Castri & horti Illaviensis donatio a Rege Caesare confirmatur.

I. Altero tandem feliciter inchoato saeculo curas omnes convertimus ad praesentia stabilienda, aut melius parta tuenda. Retuli superius ad annum millesimum sexcentimum nonagesimum septimum, veterem arcem Illaviae pro aedificando ibi nostro monasterio cum Templo ab Excellentissimis Comitibus Breünerianis cum adjacente viridario in oppido eodem nobis fuisse sub certis conditionibus donatam: igitur, ut dubia omnia e medio tollerentur, & lites, quae exinde posteris suboriri potuissent, mature submoverentur, utrique parti expedire visum fuit, acta haec sincerè & fideliter Regi Caesari, terrae Principi intimare, ejusque regiam confirmationem postulare. Augustissimus Imperator LEOPOLDUS I. pie memoriae, cui res nostrae curae, cordique semper fuere, supplices has preces benignè excepit, nostrisque desideriiis annuit. Confectum est confirmationis Diploma Kalendis Septembris eodem anno elabentis saeculi nonagesimo nono. Quod quia usitatis Cancellariae formulis constat, ac frequentius ejusmodi acta, scriptaque publica soleant occurrere, cum eadem maximi sint ponderis, rebisque robur addant, & quandoque requirantur, nefas putavi, ea silentio praeterire; sed neque Lectori ingratum fore confido, si brevè parergo animum ejus paulisper divertam, praecipue cum hoc rescriptum non sit valde prolixum. Sic autem habet:

NOS LEOPOLDUS DEI GRATIA ELECTUS
Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclavonia &c. Rex. Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Marchio Moraviae, Dux Luxemburgae, ac Superioris & Inferioris Silesiae, Wirtembergae & Theka, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi & Goritiae &c. Memoria commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis. Quod nominibus & in Personis Religiosi Patris Josephi a Matre DEI Discalceatorum sacri Ordinis Sanctissimae TRINITATIS de Redemptione captivorum in Partibus Regnorum nostrorum Germania & Hungaria Commissarii Generalis, ac reliquorum ejusdem Ordinis in Oppido Illavia Comitatus Trenchiniensi adjacenti fundatorum Religiosorum exhibita sint Nobis & praesentata certa quadam Littera spectabilis ac Magnifici condam Sigefridi Christophori Comitis Breüner, alias Camerae nostrae Aulicae ad tunc Praesidis & Consilarii nostri Intimi, ac ejusdem Consortis, nunc verò relictae Viduae Generosae & Magnificae Ma-

Marie Barbara Comitissa Breünerin, nata Breüner in simplici pa-
pyro patenter confecta, & Vienna Austriae die trigesima Maji in An-
no millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, non ita dudum
præterito emanata, ac eorundem Comitum propriis syngraphis &
usualium sigillorum appensione communita, quibus mediantibus men-
tionati olim Comes & superstes Comitissa Breüner ad majorem DEI
gloriam pro adificanda Ecclesia, fruendoque præfatis Patribus di-
cti Ordinis Sanctissime TRINITATIS de Redemptione captivorum
Conventu, & horto excolendo, interiorem Arcem Illaviensem in
sua circumferentia, unà cum horto prædictæ Arci contiguo, reser-
vatis tamen pro usu, necessitatèque sua, & posterorum suorum
proprio dictæ Arcis fossato cellarario, granario, & fonte, seu puteo
per præmentionatos Patres locò ejusdem putei in interiori Arce fo-
diendo & exstruendo dedisse & assignasse dignoscerentur tenoris infra-
scripti. Supplicatum itaque exstitit Majestati Nostræ nominibus, &
in personis mentionatorum Religiosorum Patrum debita cum instan-
tia humillimè, quatenus antefatas Litteras præspecificatorum Co-
mitis condam Breüner, & Domine Comitissæ pariter Breüner dona-
tionales & cessionales, omniàque & singula in iisdem contenta, ra-
tas, gratas & acceptas habendo, Litteris Nostris de verbo ad ver-
bum inferi & inscribi faciendo approbare, roborare, ratificare, &
præmentionatis Religiosis Patribus perpetuò valituras gratiosè con-
firmare dignaremur. Quarum Litterarum tenor talis est: Quan-
doquidem ad tenorem istius cum Admodum Reverendis Patribus San-
ctissime TRINITATIS de Redemptione captivorum initi & celebra-
ti contractùs eisdem locus pro adificanda Ecclesia, exstruendo Con-
ventu & horto excolendo commodus & congruus dandus & assignan-
dus esset: commodior autem, securiorque alius Arce interiori an-
tiqua Illavie vix reperibilis. Hinc ad majorem DEI gloriam ean-
dem in sua circumferentia in Conventum efformandum, Ecclesiàm-
que illi annectendam, unà cum horto Arci prædictæ contiguo damus
& assignamus, reservatis tamen pro usu, necessitatèque nostra, Po-
sterorumque nostrorum Arcis fossato cellarario, granario, & fonte, seu
puteo, qui cum juxta conceptum Architecti Arci interiori minùs de-
servire nequiret, hinc mentionati Reverendi Patres aliis suis sum-
ptibus pro usu Dominorum in arce exteriori fodiendum & exstruen-
dum promiserunt, seseque obligant Illarum vigore & testimoniò. Ma-
nente ceterum primævo cum Patribus Reverendis factò contractu in
omnibus suis quibuscunque punctis & clausulis inviolabiliter servandis

1699. *illaso & illibato. Vienna trigesima Maji Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo. Sigefridus Christophorus Comes Breüner. (L.S.) Maria Barbara Graff Breünerin ein gebohrne Breünerin. (L.S.) Nos itaque humillima hujusmodi supplicatione praefatorum Religiosorum Patrum, Nostrae quo supra porrectae Majestati Regia Benignitate exaudita, clementer & admissa praeinsertas Litteras donationales & cessionales non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes praesentibus Litteris nostris de verbo ad verbum sine diminutione & augmento aliquali insertas & inscriptas, quoad omnes earum continentias, puncta, clausulas, & articulos eatenus, quatenus eadem rite & legitime existunt emanatae, viribusque earum veritas suffragatur, ratas, gratas & acceptas habendo approbavimus, roboravimus, ratificavimus, ac pro saepe factis Religiosis Patribus perpetuo valituras gratiose confirmavimus & confirmamus. Salvo jure alieno. Harum Nostrarum Secretò Sigillò Nostrò, quò ut Rex Hungariae utimur, impendendo communitarum vigore & testimoniò Litterarum. Datum in civitate Vienna Austriae die prima mensis Septembris, Anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo nono. Regnorum Nostrorum Romani quadragesimo secundo. Hungariae & Reliquorum quadragesimo quinto. Bohemiae vero quadragesimo tertio.*

LEOPOLDUS.

Ladislaus Mattyallofsky
Episcopus Nitriensis.

Franciscus Somogy.

C A P U T XIII.

Pace Carlovicensi sancita, & magna Legatione a Caesare ad Portam Ottomannicam expedita, sexta captivorum Redemptio Constantinopolim procedit.

Post bella pa-
eis consilia.

I. **V**ario haecenus Marte Caesarei milites totis propemodum sedecim annis cum Turcis dimicaverant, totamque Hungariam, & illam partem Daciae, quae Transilvania nominatur, legitimi Domini Sceptro asseruerant, cum ad extremum utraque pars cladium satur coepit pacis consilia circumspicere, viasque rimari, quibus ulteriori humani cruoris effusioni occurreretur, & truculentae Bellonae ferale flagellum e manibus tandem extorqueretur. Facto demum generali Caduceatorum congressu Augustissimi LEOPOLDI I. Romanorum Imperatoris ab una, & Potentissimi Mu-

Mu-

Mustaphæ II. Han Ottomannorum Sultani ab altera parte cum plena mandatorum instructione Carlovicii in Syrmio die vigesima sexta Januarii annô hujus sæculi nonagesimô nonô parili utrinque consensu pax sancita, & in sequentes viginti quinque annos armistitium indictum fuit. Pacis tabulæ, quibûs concordia inter Occidentalis & Orientalis Imperii Monarchas coaluit, viginti articulos continuerunt, quorum duodecimus signatè Redemptionem captivorum concernebat, quem proinde ceu pragmaticam Sanctionem, sequenti Historiæ penitiùs cognoscendæ summè opportunam, ad verbum hic referemus. Sic autem sonat: *Captivi tempore præsentis belli ex utraque parte in captivitatem abacti, & in publicis carceribus adhuc superstites cum occasione istius Almæ Pacis liberationem tandem aliquando meritò sperent, nec possint sine læsione Majestatis Imperatoris & laudatæ consuetudinis in eadem captivitatis miseria & calamitate relinqui: usitatis ab antiquo, vel honestioribûs adhuc rationibûs per commutationem in libertatem asserantur; & si plures & melioris conditionis in una quàm in altera parte inveniuntur, pro reliquorum etiam liberatione, quando solemnes Legati instantias afferent, gratiosa, & huic Almæ Paci conveniens utriusque Imperatoris pietas, nequaquam denegetur: Cæteris verò, qui in privatorum potestate sunt, vel apud ipsos Tartaros, licitum sit liberationem suam honestò, & quàm fieri poterit, mediocri lytrò procurare. Quòd si cum captivi Domino honesta accommodatio fieri non poterit, Judices locorum litem omnem per compositionem dirimant: sin autem prædictis viis id etiam confici haud posset, captivi pretiis eorum, sive per testimonia, sive per juramenta probatis, atque solutis eliberentur. Nec possint Domini aviditate majoris lucri sese redemptioni eorundem opponere; & quandoquidem ex parte Excelsi Imperii Ottomannici homines emitterentur, qui taliter eliberandis captivis operam adhibeant, spectabit ad probitatem Cæsareorum Præfectorum, ut ad dimittendum Ottomannos captivos, quò empti sunt pretiò sincerè liquidatò, Dominos illorum adstringant, atque ità sanctum opus pari utrinque pietate promoveatur: quousque demum captivi utrinque prædicta ratione eliberentur, Legati Plenipotentarii ex utraque parte officia sua adhibebunt, ut interea miseri captivi benignè tractentur.*

II. Cùm in hunc modum Redemptioni utriusque partis captivorum satis consultum esse censeretur; Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius Archi-Episcopus Strigoniensis flagrantissimò illò suò zelò impulsus, quò captivorum Christianorum libertatem sitiebat, nullis pepercit sumptibus, omnémque industriam exeruit, quatenus tum lytrò, tum corporum permutatione quàm numerosissima Redemptio hac occasione prodiret. Itaque partim proprio ære, partim etiam aliorum donò & liberalitate centum & quatuor Turcica mancipia comparavit, de quibus ad fidem Christianam convertendis spes nulla supererat. Hîs congregatis P. Josephum a Sanctissimo Sacramento designatum eo tempore captivorum Redemptorem die decima quarta mensis Julii ad se accersivit, eique curam Turcicorum mancipiorum commisit, & alimenta pro illis liberaliter suppeditavit ad usque vigesimam

1699.

Armistitium
in 25. annos.Articulus 12.
circa captivos
redimendos.Card. Kollonicz
Turcica
mancipia
congregat pro
Christianis
comparanda.

1699.

mensis Octobris, qua die magna Cæsarea Legatio Byzantium erat discessura. Hac autem infidelium captivorum collectione nihil aliud spectabatur, quam ut in proximo præsidio Turcicæ ditionis cum fidelibus permutarentur. *Plus ultra* Piiissimi Principis progressa est liberalitas; pretiosissima siquidem dona quædam P. Redemptori superaddidit, ut illis Aulæ Byzantinæ Purpuratos demulceret, quos sua auctoritate promovendo Redemptionis negotio momentum aliquod conferre posse dignosceret. Tercentum præterea florenos viatici locò attribuit, ut Patriarcham Antiochenum cum duobus ejus Clericis & quendam Patrem Capucinum, in Persiam disseminandi Evangelii causâ abeuntem, atque alios sex homines, quorum unus Turcici sermonis interpres erat, Patri ad obsequia commendatus, cum captivis præmemoratis in eodem itinere sustentaret. Insuper aureorum nummum duo milia centum & viginti quinque apud magnæ Legationis Quæstorem majoris securitatis ergò deposuit, ab eodem Patre Redemptore in captivorum liberationem expendenda.

Cardinalis
ulterior libe-
ralitas.

Alia conqui-
runtur Re-
demptionis
subsidia.

III. Quamvis autem P. Redemptor ab eo tempore, quò hòc officio auctoratus fuit, nihil in se desiderari passus sit, quatenus tam in privatis sermonibus, quam in publicis exhortationibus fidelium corda ad commiserationem erga pauperes captivos Christianos, sub gravissimo Turcarum jugo gementes, inflammaret, attamen cum postrema Redemptio in annum immediatè præcedentem inciderit, quâ Redemptionis ærarium integrè ferè exhaustum fuit, fieri non potuit, ut pares novo huic molimini facultates corrogaret. Hæc tamen inopiâ ille minimè deterritus, quidquid nummorum domi repererat, aut aliunde conquirere potuerat, celeriter accumulavit.

Magnæ Le-
gationis expe-
ditio 20.
Octobris.

IV. Postea, cum excellentissimus Dominus Wolfgangus Comes Oettingenius Sacræ Cæsareæ Majestatis ad Portam Ottomanicam Magnus Orator cum toto comitatu suo ad Cæsareum Palatium se contulisset, ut suæ Majestati valediceret, & ab eadem ultima mandata acciperet, Pater Redemptor sese eidem adjunxit, & cum aliis ad osculum Augustissimarum manuum admissus fuit; quo tempore Piiissimus Cæsar inter alia mandata Magno Oratori peculiariter commendavit P. Redemptoris protectionem & sollicitudinem de liberatione captivorum Christianorum. Tandem XX. mensis Octobris idem P. Josephus cum supra memoratis centum & quatuordecim personis in duabus navibus Magnæ Legationis Classi, quæ ex duabus & quadraginta tum cymbis, tum cybeis constabat, se aggregavit, & e Viennensi litore solvit. Inde secundò Danubii flumine Hungariæ Præsidia, Posonium, Jaurinum, Comaromium, Strigonium, & Budam prætervehti prodignitate ubique benè precantium honores & applausus exceperunt.

Valkovarii
fluvius.

V. Valkovarium undecima die Novembris circa meridiem pervenerunt, ubi *Valpo* sive *Valko* fluvius, a quo locus nomen mutuavit, in Danubium tributarias aquas effundit. Est autem *Valkovar*, vel ut incolæ nominant *Bukovar*, arx semi-diruta anno supe-

superiore octogesimo septimo e Turcarum potestate vindicata, quam eo tempore sex & triginta milites cum suo Præfeco tutabantur, & velut e specula Danubianam navigationem observabant. Civitas ei adfita tunc quidem ob frequentiores direptiones lacera hiabat, hodie verò incolarum solertiâ meliorem faciem induit. Hic, quòd locus iste haud procul a confiniis Turcicis abesset, subsistere nonnihil voluit Magnus Orator; nuncios etiam Petrovaradinum ad nostros, & Belgradum ad Turcas expedivit, de adventu ex altera parte Legationis Turcicæ cognituros. Ut verò captivi Turcæ, quos Patrem Redemptorem pro Christianis permutandos secum adduxisse superius docuimus, majori securitate custodirentur, omnes in hac arce ad tempus conclusi fuerunt, e qua tamen necdum elapsò biduò per notas mœnium ruinas insalutato hospite unus evasit. Animadversâ fugâ veritus P. Redemptor, ne idem vitium in cæteros quoque serperet, rogavit Oratorem, ut militares excubias augetet. At ille consultiùs duxit, mancipia Effekinum, tanquam locum multò munitiorem, transferre. Id XVI. Novembris executioni mandatum fuit sub præsidio sexaginta Germanicorum & totidem Hungaricorum militum, ipso etiam Patre Redemptore itineris societatem suscipiente, ut præstò foret, si nova quædam emergeret necessitas. Effekini cum P. Superiore Societatis JESU traditis eidem pecuniis conventum est, ut ipse omnium curam admitteret. His probè ordinatis Pater Valkovarium remigravit, Patriarchæ Antiocheno cæterisque comitibus provisurus. Erat ille vir pius, septuagenariò major, sanctæ Romanæ Ecclesiæ pridem unitus, & jam tertia vice per summam injuriam ab Hæreticis sua sede depulsus, cujus locum largis apud Turcas muneribus & majoribus pollicitationibus usurpavit alter, homo vaser, qui emptis testibus adversus infontem & legitimum Patriarcham crimen confinxerat, quasi rerum novarum studiosus Turcicæ servitutis jugum excutere conaretur: crebris itaque insidiis petitus, ut vitæ, ac incolumitati suæ consulere, Romam ad Innocentium XII. Summum Pontificem confugit, causam exposuit, & justitiam imploravit. Pontifex eum ad LEOPOLDUM Imperatorem Viennam misit, quatenus illius ope per hanc Legationem Sedi Sux pulso usurpatore restitueretur, quod & feliciter tandem successit.

VI. Intereâ certis nunciis Valkovarium perfertur, Turcicum Oratorem Taurunum jam attigisse: quamobrem missis ultro citroque tabellionibus Oratorum permutatio in certum diem statuitur. Nostri Salankemenum Belgrado vicinibus oppidum, ubi non pridem arma Cæsarea memorabilî victoriâ Ottomannicæ Lunæ eclipsem induxerant, lento gressu appropinquant, quò cum Turcarum Orator etiam pervenisset, die septima Decembris in patente campi planitie statuto in loco, ad tres erectas in confiniis pro more columnas, inter militaria utriusque gentis agmina, passis vexillis & reclangentibus tubis pompam circumstantia, splendide ac magnificè transacta fuit solemnis Legatorum permutatio. Cum autem Comes Starenbergius Cæsarei exercitus Ductor eodem

1699.

Turca captus
fugâ evadit.Mancipia
Effekinum
transferuntur.Quis fuerit
Patriarcha ille
Antiochenus.Legationum
fit permutatio.De commutatione
captivorum agitur.

1699. in tempore & loco ex P. Redemptore percontaretur, qualiter nunc commutatio captivorum peragenda foret? Natò in arena consilio convenerunt Oratores, ut idem Starenbergius & Belgradensis Castri Praefectus hujus causam negotii in se susciperent. Hinc nostro Orator Constantinopolim contendit, Turca verò Viennam profectus est.

Belgradi Pa-
ter visitat car-
ceres captivo-
rum.

VII. Belgradum tenuerunt nonâ Decembris, quò cùm per-
venissent, P. Redemptor omnia ergastula, in quibus detineban-
tur Christiani captivi, circumcursabat, & maturandæ propediem
libertatis nuncium ferebat, ejusdemque spe miseros compeditos
solabatur; interim afflictos ope adjuvit, numeravitque pecunias
ad eosdem alendos, donec commutatio perficeretur. Belgradò
digressi flumentano itinere viam in Danubio continuârunt Cæsa-
reis navibus usi, quibus etiam Turcæ Belgradenses aliquot actua-
rias adjunxerunt. Locus ad Portam ferream vocatur, crebrò in-
famis periculò propter insidentes scopulos, quorum multi aquis
tecti latent, atque infestas procellas excitant. Hic licet non uno
in discrimine versati fuerint, salvi tamen omnes ex hoc ancipiti
loco evaserunt. Pontis Trajani prætervecti ruinas, quæ hodie
Cæsareas Provincias a Turcica ditione dispescunt, ad Lambgradum,
populò frequens oppidum, die secunda & vigesima mensis Decem-
bris appulerunt. Nocte verò sequentis diei tam sæva tempestas
fluvium in furias concitavit, ut collisis inter se navibus omnes
metu consternati capita sua infidi elementi sævitiei subduxerint,
& convasatis tumultuariè sarcinis in vicinum litus descenderint,
consilio sanè perquam opportunò; brevi siquidem tempore duo-
decim naves merse subsiderunt, inter quas etiam illa, quam P.
Redemptor cum sociis æquè maturè ac feliciter deseruerat, eò-
dem fatò periit. Cæteræ, ut plurimum dispersæ restituta tran-
quillitate ægrè colligi potuère. Reliquis autem navibus remisque
utcumque reparatis *Rovan* navigârunt, ibidemque vesperè sequen-
tis diei circa horam septimam stiterunt, & Natalem CHRISTI
Salvatoris media nocte devotissimè celebrârunt. Advenerat pau-
lò priùs Nicopolensis Praefectus Turca, qui perurbanè saluta-
to Magno Oratore significavit, a Sultano sibi in mandatis datum
fuisse, legationem Constantinopolim usque comitari. Erat is
idem, qui Camenecum Praesidium non pridem vigore conclusæ
pacificationis Regi Poloniae restituit, in qua nunc civitate Ordinis
nostri Cœnobium floret, Provinciae S. Joachimi annumeratum.

Exorta tem-
pestate 12.
naves mer-
guntur.

Natalem
CHRISTI Sal-
vatoris cele-
brant.

Camenece
domus Ordinis.

Congelato
flumine fini-
tur navigatio.

VIII. Ut sacram itaque noctem inter crebras nives & vento-
rum, insano tumultu furentium, injurias transegerunt, non expe-
ctatâ aurorâ migrationis datò signò naves in medium fluminis al-
veum rursus propulerunt, & inter glaciales crustas progredi ten-
târunt, magnoperè veriti, ne fluvio glacie mox obducendò na-
vium cursus prorsus impediretur. Remis igitur strenuè incumben-
tes Nicopolim prætervecti vespertino tempore *Sitovam* oppidum
attigerunt. Nocte eadem gelu constrictum flumen undique obri-
guit, seseque incedentium pedibus calcabile præbuit. Hinc
clau-

clausa navigatione carris, trahisque onera sunt imposita, quæ lento itinere boves, bubalique *Carmankum* (nomen est ignobilis in Bulgaria pagi) pertraxerunt. Hic inter temporis confinia exitum præteriti & ingressum sequentis anni sæcularis omnes sibi pro solemniori more sunt gratulati, & Kalendas Januarias xeniis celebrarunt.

1699.

CAPUT XIV.

Ulterior itineris continuatio, Magnæ Legationis Constantinopoli adventus, magnificus ejusdem ingressus & Redemptionis expeditio.

I. **S**pem atque rem majorem sibi quisque promittebat ex anno hujus sæculi postremo, nempe millesimo septingentesimo. Die secunda Januarii instaurato itinere terrestri Magna Legatio *Russicum* amplam ad Istrum civitatem contendit, & post triduum feliciter etiam eò pervenit, summis ibi excepta honoribus. Captivi Christiani complures, & de longinquo ab heris suis profugi Legationis hominibus se admiscuerunt, supplicésque pro libertate manus tetenderunt. P. Redemptor eorundem misertus, vi nulla usus aut injuriâ solutò pretiò tres cum liberis & uxoribus familias exemit, Belgradumque, salvi conductus litteris instructos, ut cum reliquis Christianis, propediem pro Turcis commutandis, in patriam redire valerent, transmisit. Cæterum Belgradi die decima mensis Januarii, prout inter partes convenerat, captivorum permutatio transacta fuit, non quidem viritim, quod nostri intendebant, Turcis pertinaciter obstrepentibus, qui pro tribus, quatuor, imò quinque Turcis vix unum reddere volebant Christianum. Improperabant eis nostri non sinè convitiis tantum propriæ gentis contemptum & vilipendium, ne quidem inter suos ullo in pretio computatæ. At surdis canebatur fabula. Verumtamen, ut secundum pacta & jura gentium æqua fieret commutatio Excellentissimus Guido Comes Starenbergius, cujus auctoritas ob militarem gloriam etiam apud hostes erat venerabilis, in id totis viribus incubuit, ut plura Turcica mancipia pro majoris dignitatis Christianis commutarentur, qui, quamvis essent pauciores numero, Turcarum multitudinem nobilitate suarum personarum compensarent. Pro centum & tribus igitur mancipiis Turcicis octo & viginti a barbarorum jugo sunt absoluti Christiani, stirpe tamen illustres plerique & muneribus clari.

1700.

Russicum solemnis ingressus.

Tres ibi captivorum familie redimuntur.

Belgradi sine captivorum commutatio.

II. Iisdem in principio Januarii diebus, cum prioribus vehiculis recedentibus Magna Cæsaris Legatio Russici nova plaustra & carpenta opperiretur, ac sarcinæ intuta loca transportarentur, multi iterum captivi Christiani usque ad decimum diem ejusdem mensis tempus & occasionem nacti sunt libertatem suam assequendi; redempti siquidem hoc temporis spatium fuerunt triginta & aliquot utriusque sexus personæ. Ne verò tantus numerus esset oneri Legationi & itineris consuleretur compendio, cuncti,

Russici plures redimuntur captivi.

1700.
Hi mittun-
tur in Vala-
chiam, inde
per Transilva-
niam in pa-
triam re-
deunt.

Unius ad fi-
dem conver-
sio.

Adrianopo-
lim tendunt.

Rhodope-
mons.

Per viam hinc
sedimuntur
captivi.

Ingressus
Adrianopo-
lim.

Turbae con-
citantur pro-
pter captivos.

Religiosus
Ord. Mino-
rum sustibus
seditur.

quod suadebat trans flumen vicina Valachia, Bukarestum ad il-
lius terrae Principem missi sunt, adjunctis litteris, quibus roga-
batur Princeps illius Provinciae, ut ipse pro insigni sua erga Chri-
stianos benevolentia eosdem in propinquam Transilvaniam di-
rigeret, quatenus inde in patriam quisque suam facilius remeare
valeret. His se immiscuit, conniventibus Turcis, quidam gente
Boruffus, Lutheri olim assecla, sed jam Mahometem professus, &
praesidiariis Belgradi Janissaris adscriptus, tanta nimirum fuit Ger-
manicae Legationis auctoritas, ut divinitus quasi incusso barbaris
pavore haec adeo insolita paterentur. Ille postea Viennae in do-
ctrina Christiana melius instrui petiit, & Romano-Catholicam
fidem amplexus fuit.

III. Rebus omnibus rite adaptatis Russico Adrianopolim in-
gressi sunt iter, non nisi sedecim diebus perficiendum. Legatio-
nem Caesarem comitabantur praecipui Turcarum proceres nume-
rosa asseclarum manu stipati. Bubalis substituti sunt equi, quod
plures montes instarent superandi. Ad Alpes Rhodopejas, Poeta-
rum figmentis & versibus celebratas (confinia hic sunt Bulgariae
& Thraciae) asperrimum experiuntur iter: saepe rupti, fractique
sunt currus, foeda ut plurimum hospitia, & pecorum stabulis de-
teriora. Hic quoque per vicos & pagos non pauci redimebantur
captivi, qui lacrymabundi passim accurrebant, & inter singulti-
sona suspiria libertatem flagitabant. Molesto tandem itinere emen-
so Adrianopolim appropinquavit Augusta Legatio, ac die sexta
& vigesima Januarii prodeuntibus Turcarum Proceribus cum Bo-
stangio Bassa sive hortulanorum Praefecto, qui sex millibus hortu-
lanorum praest, Janissaris ex utroque latere circumfusis, solem-
nis sueta magnificentia celebrabatur ingressus. Postridie ad Caesarei
Oratoris palatium Turcae excubitorum numerum auxerunt, quod
captivi Christiani eo spe libertatis allesti turmatim confugerent:
hi itaque magno furore clamorque omnem miseris aditum inter-
cluserunt, alios quoque insidiis fuste verberibus ad heros suos cru-
deliter repulerunt, imo eoque furoris progressi fuerunt, ut
admotis scalis etiam e palatio Christianos rapuerint, non solum
profugos, sed etiam persolutos lytrô sub itineris decursu redemp-
ptos, aut manumissos. Unde vehemens suborta est altercatio,
nec modicus invaluit timor, ne barbari factò cuneo universum
invaderent Oratoris hospitium; id tamen, Legationis sanctitatem
veriti, cum minimè auderent, omnem furorem suum in virum
religiosissimum ex Ordine Minorum S. Francisci despumavere,
suspicati, hunc eundem esse malorum omnium originem, utpo-
tè, qui pauperes captivos modis omnibus, quibus poterat, ju-
vabat: & quoniam Turcarum quidam intellexerant, ipsum P.
Redemptori latebras indicasse, in quibus mancipia absconderant,
ad Judicem pertractum graviter multarunt; ducentis enim bacil-
lorum ictibus in pedum plantas a satellite insidiis adeo crudeliter
vapulavit, ut homo sacer amisso pedum usu in plures menses de-
cubuerit. Nihil tamen obstante hac crudelitate nona & vigesima
ejus-

ejusdem mensis post meridiem, cum iter ineundum esset, non pauci profugi mutatis vestibulis se Legationis hominibus inferentes feliciter evaserunt.

IV. Adrianopolim paucorum dierum itinere Cæsarea Legatio Constantinopolim venit; nam post octiduum die quinta Februarii illius pomeria propè jam attigerat. Inde complanatis quibusdam difficultatibus, ingressum morantibus, & cessante pluvia, quæ cælum atris nubibus involverat, die octava ejusdem mensis, festa in luce S. P. N. JOANNIS de MATHA P. Redemptor assistente Magno Oratore Missæ Sacrificium in honorem Sancti Nostri Institutoris bono Redemptionis omine celebravit, eoque absolutò, iis sese adjunxit, qui ante solemnem ingressum ad vendenda impedimenta præmittebantur in urbem: insigni autem hic usus est cautela, ne a Turcis agnosceretur, aut in vulgus emanaret, cujus rei gratiâ Constantinopolim accessisset, ne Barbari hæc famâ commoti aperto tumultu ingressus solemnitatem foedarent. Tectè itaque prægressus Peram, Byzantii suburbium, intravit, & tertiâ post meridiem horâ ad paratum hospitium pervenit. Secuta est demum Magna Legatio super hominum memoriam magnificentissima quatuor ferè post horas longo decentique ordine explicatis vexillis & resonantibus tubis præcipuas urbis plateas obequitans, quo tempore brevior adhuc die lux a tædis mutuata vestium & rerum pretiosarum fulgorem in immensum auxerat.

V. Ad inspiciendum Magnæ Legationis ingressum in civitate populò refertissima undique concurritur, relictis ædibus compta, ubi transeundum fuit, undante hominum multitudine fervent, ipsò etiam Magnò Sultanò diffimulatâ personâ huic spectaculo oculos accommodante. Interim multi captivi Christiani absentibus heris, & sinè cura curiosè spectantibus profugère, cursuque concito ad Oratoris palatium velut ad sacram anchoram se receperunt. Indè magna suborta fuit Turcarum commotio, mancipia sua elabi quiritantium. Rejecta causa fuit ad proximum Sultani alloquium, ubi de captivorum liberatione decernendum erat. Quia verò proximè instabat e Mahometis lege *Ramazani* superstitio, quam lunaris mensis jejuniò obire solent, citiùs præter usitatum morem designata fuit dies, quâ Orator ad primum alloquium Magni Vezirii admittendus erat; cui officio peragendo decima tertia hujus mensis decreta, & decima sexta deinde ejusdem mensis dies publico Sultani alloquio destinata fuit. Splendidissimo ad utrumque apparatu Magnus Cæsaris Orator delatus, & ad locum magni consilii (quem Turcæ vulgari vocabulò *Divan* appellant) deductus, tria præcipuè in deliberationem venerunt: primum concernebat sancitæ pacis stabilitatem, alterum legitimam confinium utriusque Imperii definitionem, tertium, Redemptionem captivorum. Quæ omnia inter mutuæ benevolentie contestationes decisa fuerunt.

1700.
Captivi profugi inferunt se Legationi.

Magna Legatio propè Constantinopolim sistit.

8. Februarii sit ingressus.

Cautela Patris Redemptionis.

Turcis Legationem spectantibus captivi ad palatium Oratoris profugiunt.

In consilio tria proposita de pace firma, de confiniis, de captivorum Redemptione.

1700.

Comiti Ludovico Sinzendorffio cura captivorum committitur.

VI. His negotiis expeditis captivorum invaluit concursus, libertatem suspirantium. Transactâ causâ cum Vezirio de Patriarchæ Antiocheni ad suam sedem restitutione ab Imperatore magnopere commendata, Cæsareus Orator, ne mancipiorum lacrymis & obtestationibus nimium distineretur, universum hoc negotium ad Excellentissimum Ludovicum Comitem Sinzendorffium rejecit. Incredibile memoratu est, quanto Christianæ charitatis fervore vir ille summus hanc arripuerit provinciam, quas non modò Turcarum, sed etiam captivorum importunitates eximia semper benignitate ac prudentia pertulerit, exantlaveritque. Ipse Magnus Orator, qui causæ gravitatem indiès magis magisque cognoverat, ad Cæsarem ea de re dedit litteras, atque reliquos edocuit Viennensis aulæ Ministros, magnâ & multâ opus esse pecuniâ in Redemptionem expendendâ, ob ingentem Christianorum captivorum multitudinem. P. Redemptor quoque Eminentissimum Cardinalem Kolloniczium & Ordinis Superiores de eadem necessitate certiores fecit; interim omne aurum, argentumque in eliberationem captivorum expendit. Quia verò alibi subsidia tardius, aut parcius expectabantur, & periculum erat in mora, ne occasio tam bella frustra elaberetur, nunquam fors amplius reditura, Patres Viennenses, quodcumque in promptu habebant, & quam scœnebrem nancisci poterant pecuniam, in sex florenorum millia consârunt, eamque P. Redemptori in syngraphis celeriter submittentes laboranti Redemptioni opportunam opem tulerunt.

Litteras ad Cæsarem Orator scribit de captivorum necessitatibus.

Et P. Redemptor ad Card. Kollonicz eadem de re scribit.

Scœnebris accipitur pecunia.

Ad captivos in triremibus laborantes dirigitur Redemptio.

Ingens clamor captivorum in triremibus.

VII. His præstò auctus subsidiis Pater, eò omnem operam atque industriam contulit, ubi major esse dignoscebatur necessitas, & captivorum miseria: neminem autem auxilii magis indigum arbitrabatur, quàm miseros illos, qui ad transtra damnati in compedibus remos agunt, & quotidiana miseriarum accessione pressi, vitam ducunt morte amariorum. Ad hos itaque cum P. Redemptor pervenisset, exploraturus de qua quisque gente oriundus, aut cujus conditionis esset? mox ut agnitus fuit, altus repente insonuit clamor universorum, non sinè precibus & lacrymis a tanta calamitate liberari deposcentium, spectaculò adeò lugubri, ut ferrea & marpesia caute duriora pectora disrumpi potuissent. Ducenti ibidem reperiebantur Germani remiges, præter alios complures ex omni gente ac populo collectos, quos Barbarorum crudelitas Sultani nomine in vinculis tenebat captivos ad exercendam per omne mare piraticam deputatos. Res hic versabatur in arduo, & ipsa in scopulos impingebat Redemptio; quòd si enim Turcæ vinculos dimitterent, necesse erat, ut ipsum quoque robur navium enervaretur. Opus proinde fuit, ut Magna Cæsarea Legatio totam auctoritatem suam ad emolliendam navarchorum pertinaciam interponeret. Certè Comes Sinzendorffius & P. Redemptor nulli pepercerunt labori, aut industriæ, ut Christianos illos e calamitate omnium maxima eruerent. Ad communem igitur causam promovendam allegabant inviolabilem scœderum sanctitatem, duodecimum nimirum articulum

pacificationis, ad Carlovizium recenter sancitum, in quo de captivorum redemptione agitur, terminis tam perspicuis, ut nulli cavillationi locus relinquatur, atque adeò omnes in servitutem abrepti, nullò profus exceptò in eo comprehendantur. Cave-
rent itaque tam solemnia pacis Sacramenta prævaricari, & jurata fœdera in ipso quasi limine infringere, cùm tale piaculum, spe pacis irrita, vix multo sanguine esset eluendum. Vezirius, mitioris vir ingenii, persuasus rationum efficaciam in eam manibus pedibusque ivit sententiam, ut diceret gentis Teutonicæ captivos oblatò lytrò esse vendendos, hòc tamen pretiò alia mancipia, quæ illis substituerentur, coëmenda. Optimæ tamen Vezirii menti vehementer adversabatur Mezzomorto, Supremus Turcicæ classis præfectus, sive Archithalassus, cum aliis nonnullis aulæ Byzantinæ proceribus, donec hi pretiosis deliniti muneribus educendis illis Germanis quinquaginta lytrò redimendos concederent, solutis pro unoquoque centum *piastris*, quarum singulæ quadraginta *paras* continent: *para* verò duobus nostris minutis cruciferis æquivalet. Centum igitur, tribus & triginta florenis ac viginti cruciferis in singula capita constitutis (æquum satis ac moderatum pretium) exsoluti sunt, & redempti quinquaginta illi Germanicæ nationis captivi remiges; cæteri ne redimi possent, cautè abditi, aut aliorsum distracti fuerunt, ut, si rursus inquirerentur, aut eorum redemptio urgeretur, ob illorum absentiam nihil effici posset; perfidi siquidem Turcæ nulli fraudi parcebant, ut contra dictum pacificationis articulum sua mancipia retinerent.

VIII. Redemptis illis passim indiès plures accedebant, alii ab heris suis profugi, qui mori potius elegerant, quam ad pristinam redire servitutem. Qua de causa, cùm Turcæ servos suos absque lucro perdere, aut minùs deinceps obsequentes se habituros formidarent, illos ultrò offerebant, & vili vendebant pretiò, truci tamen vultu mille diris eosdem devoentes; execrantes cœlum terramque. Igitur mutuò acceptâ pecuniâ, aut cum fœnore obligata redempti sunt plerique; nec tamen sinè metu & provida cura, ne concitatus populus ex venditionis poenitudine Magni Oratoris palatium invadere, & Christianos redemptos rursus in vincula conjicere attentaret. Etsi verò protegente Numine horum nihil acciderit, malevolus tamen eorum animus satis se prodidit in sequentibus eventibus, qui paulò post contigerunt. Noverant illi P. Redemptorem, quem partim Ordinis sacra vestis ab aliis distinguebat, partim indefessâ sollicitudo in asserenda Christianorum mancipiorum libertate Redemptorem captivorum haud obscurè arguebat. Huic itaque unicè infensi, eidem impu-
tabant, quòd refractarii jam servi jugum excuterent, in Oratoris Cæsarei domum transfugerent, & ibidem asylum nanciscerentur. Hinc quoties illi occurrebant, toties non sinè stomacho hunc servilis insolentiæ auctorem vociferabantur, eò etiam temeritatis progressi, ut illius faciem palàm conspuerent, jactisque in eum lapidibus longius persequerentur. Quotiescunque in publicum procedere opus habuit, semper a Janissaro e prætorgia cohorte

1700.

Turcæ se opponunt Redemptioni.

50. captivi tri remibus redimuntur.

Propter profugos captivi levius venduntur.

Multum infensi P. Redemptori.

1700.

Graviore
versatur in
periculo.Turcae duo
Redemptum
Christianum
cultris occi-
dunt.

securitatis ergò stipari debuit, qui Patrem defensurus ejus lateri semper adhæsit, ne ab iratis Thracibus discerperetur. Accidit tamen aliquando, ut tali comite destitutus vesperè propè Oratoris palatium solus ambularet, & e precatoriis globulis DEIPARÆ Virgini quotidianum devotionis pensum persolveret, dum, ecce tibi! tres feroces Barbari illac fortuitò pertranseuntes ejus brachium corripiunt, virum debilem, & pœnitentiis exhaustum in terram posternunt, humique provolutum per plateam adeò crudeliter raptant, ut bonus senecio a summo vitæ periculo haud procul abfuerit, imò ne mortem quidem evasisset, nisi e vicinis Magni Oratoris ædibus celerius quidam succurrissent Christiani, eumque truculentorum hominum manibus eripuissent. Haud vanam fuisse hanc suspicionem tragicus eventus comprobavit, qui sexta Junii in ipsa Dominica Sanctissimæ TRINITATIS contigit; cùm enim hac die quidam e redemptis captivis, Balthasar Deuchler nomine, e superiore Austria oriundus, & decurionis quondam munere in Legione Badensi functus sumptò prandiò domum Magni Oratoris egressus fuisset, & propè Peram sub opaca arbore, subter quam temerè se jactaverat, obdormivisset, duo Turcae clanculum accedentes in virum innoxium, sui que securum rabidè iruerunt, & duobùs cultri ictibus cor ejus transfixerunt. Hinc quisque facillè colliget, qualiter efferi illi homines in Patrem Redemptorem sæviissent, qui absque ulla causa soporatum hunc libertum tam immaniter trucidarunt, Patefacto scelere duo quidem, quos vehemens suspicio reos agebat, ad Vezirium ducti sunt: an autem illi sceleris convicti, vel puniti postmodum fuerint, non patuit.

CAPUT XV.

Redempti in Patriam tendunt. Iter per Pontum Euxinum, Danubii ostia & Valachiam; alii que eventus memorabiles, qui subinde acciderunt, recensentur.

Facultates
deficiunt, ob-
rærata etiam
Redemptio-
ne.De reditu
consilium.

I. **Q**UADRINGENTI & ultra, præter eos, qui annò præteritò per viam redempti in patriam remissi fuerant, e Turcica servitute liberati Christiani in ædibus Magni Oratoris morabantur: pluribus autem redimendis opes non suppetebant, nec facultates, Redemptione aliunde jam censibus obræratâ. Itaque cùm in tot hominibus alendis sumptus quotidie magis excrescerent, Excellentissimus Orator insinuavit P. Redemptori, consentaneum esse, ut de reducendis in patriam captivis redemptis cogitaret. Is tamen priùs libellò supplicî Turcarum Imperatorem, ejusque summum Administrum obsecrandum putavit, ut sicut ipse expensis ab Eminentissimo Cardinali Kolloniczio subministratis Turcica mancipia ad limites usque Ottomannici Imperii perduxerat, ita nunc vice versa redempti Christiani sumptibus ejusdem Imperii ad confinia Hungariæ deducerentur. Quamvis autem Excellentissimus Orator hoc consilium probaverit, noluit tamen, ut hujus
rei

rei gratiâ supplex libellus purpuratorum principi porrigeretur, sed suavit, ut hoc negotium potiùs oris officiò ei civiliter proponeretur. Sed quoniam talis colloquii opportunitas non facilè se offerebat, & ex diurna comperendinatione nîl nisi sumptuum augmenta, & temporis jactura sequebantur, statuit P. Redemptor, qui sibi integrum non putabat ab Oratoris consiliis vel lato ungue desectere, utpotè cujus etiam nutus tanquam mandata reverebatur, mediam inire viam, quatenus celerius ad finem suorum desideriorum perveniret. Accessit itaque Maurum Cordatum, gente Græcum, & summæ auctoritatis in aula Ottomannica virum, eisque exposuit, quâ curâ, qua commoditate ipse Turcas captivos Belgradum usque conduxerit, beneficiò adeò vulgatò, ut nec ipsos cives Constantinopolitanos lateret, sed eorum quoque ore celebraretur; proinde si ad parem vicem captivis Christianis reddendam Turcici Imperatoris aulam permoveret, præstiturum eum opus sui nominis famâ dignum, idque fore acceptissimum Cardinali Kolloniczio, apud quem esset summo in pretio.

II. Sive nunc Maurus Cordatus huic operi manum admove- rit, sive Excellentissimus Orator illud Magno Vezirio proposue- rit (obscurum siquidem adhuc manet, cujus potissimum admini- culò hoc negotium complanatum fuerit) istud pro comperto re- ferre possumus, Turcas post aliquot dies nunciâsse, se proprio ære captivos Christianos ad Imperii Ottomannici limites dedu- cturos. Terrenum iter primò decretum, mutatâ dein sententiâ Legationi, propedièm redituræ, terrestre iter se reservaturos significârunt, partim ob minora impendia, partim etiam ob ma- jorem proficiscentium commoditatem. Promiserunt autem, re- demptos ab se deductum iri per Pontum Euxinum & Istrum, ne si tanta multitudo simul in uno loco, vel ejus vicinia concurre- ret, minùs decenter ipsis serviretur, & populus frequentiore transitu nimiùm gravaretur. Ea igitur de causa Magnus Vezirius pro P. Redemptore & captivis redemptis duas naves instrui præ- cepit, eisque pro congrua vectorum alimonia assignavit quatuor boves, quinquaginta verveces, & quatuor millia librarum panis bis cocti, sive nautici: addidit prætereà Centurionem cum mili- tari manu, qui P. Redemptoris & navigantium securitati consu- leret, eisque liberum ubique locorum transitum assereret. Ipse verò Pater orizam, legumina, vasa ærea ad coquenda edulia pa- ravit, & hydrias coëmit, cæteraque supellectilia ad maritimum iter necessaria, ac prætereà varias etiam medicinas, quibus pro diversis eventibus obviâque necessitate succurreret Christianorum redemptorum valetudini.

III. Rebûs igitur omnibûs ad iter subeundum paratis indi- cta fuit migratio, & redempti universi die vigesima quinta Ju- nii naves alacriter conscenderunt. Vix tamen e portu solverant, dum suborta repentè tempestate eos tanta fluctuum rabies infesta- vit, ut parùm abfuerit, quin omnes mergerentur. Hæc maris indignatio eis necessitatem imposuit eundem portum repetendi.

D d d d

1700.

Ut nostri ali-
mentis provi-
derentur, ve-
luti Turcici
mancipiis fa-
ctum fuerat,
urget P. Re-
demptor.

Alimenta per
viam redem-
ptis decreta.

Naves duas
parantur, &
commeatu
instruuntur.

Tempestate
rejiçuntur.

&

1700.

Matrona cum
filia Constan-
tinopolim re-
mittitur.

& ibidem tantisper expectandi, donec discussa tempestate secundiores venti eis in puppim aspirarent. Aderat reliquos inter nobilis matrona Bohema cum filia redempta, quarum utraque non ita pridem ex gravissimo morbo vix convaluerat. Has cum Pater Redemptor maris agitationem & fastidia toleraturas diffideret, Constantinopolim remisit, ut terrestri itinere commodius in patriam reverterentur.

Ad maris ri-
pam Missæ Sa-
crificium ce-
lebratur.

Mare hoc
cæteris peri-
culosius.

Annona de-
fectus.

Chirurgus
repente mor-
itur.

Aber aquis
mersus ex-
stinguitur.

IV. Sedata tempestate vela rursus ventis dederunt, & prægnantibus carbasis per Bosphorum Thracium ad mare contendunt: priusquam verò in altum proveherentur, ad P. Redemptoris preces jactis anchoris naves substiterunt: Christiani autem omnes ad vicinum litus descenderunt, in quo P. Redemptor extemporaneò altari in læta viridantis ripæ planitie erectò incruentam DEO Hostiam immolavit, ut sibi, suisque ab Incarnato DEO, qui mari & ventis imperat, prosperam navigationem impetraret; Pontus enim Euxinus est mare adeò procellosum & naufragum, totque funeribus infame, ut *Nigri* denominationem meruerit. Decem diebus variè jactati, salvi tamen omnes ad fluminis fauces, sive ostia pervenerunt, per quæ Ister in Pontum Euxinum suas undas exonerat, commodius deinceps, etsi lentius adverso flumine per Bessarabiam navigaturi. Exactis autem quindecim diebus, quos navigando jam consumpserant, cœpit eis annona deficere, quapropter Pater Redemptor homines aliquos in proximum Turcarum vicum emisit, qui panes, & reliqua alimenta ad levandam navigantium necessitatem cœmerent. Hos inter erat Chirurgus Constantinopolitani redemptus, quem focii a pago reduces humi jacentem & exanimem invenerunt. Inopinata mors hominis istius P. Redemptorem perinde, ac omnes alios vectores majorem in modum afflixit; erat enim artis Chirurgicæ, simul & nauticæ apprimè gnarus, nec non rerum agendarum peritus, & promptus ad cuncta præstanda, quæ ei injungebantur. Interemptus existimabatur Turcarum insidiis, sed inspecto diligenter cadavere, nullum vulneris, aut violentæ mortis vestigium apparuit; tabida intestina naturam interfectoricem indigitarunt. Cæterum quamvis ei repentina mors obtigerit, tanta tamen vir ille (ut testabatur ipse P. Redemptor) pietate semper refulsit, ut nemo ambigeret, cum ad bravium æternæ felicitatis pervenisset. Non multum dissimili calamitate alter sub idem tempus mortuorum numerum auxit: redemptus is erat e triremibus, qui, cum naves otiosè ad litus fluitarent, & reditum hominum, quos annonæ comparandæ gratiâ in adsitum pagum discessisse diximus, expectarent, de pericia natandi confusus in fluvium profiliit, gratuitum balneum in ejus undis quæsiturus. Verum ille, dum sua temeritate actus natando longius progreditur, ante omnium oculos aquarum vorticibus absorptus interiit, quin quispiam auderet, aut posset ei succurrere. Magnus inde mœror P. Redemptorem occupavit, qui duo funera simul in duobus elementis terra, nimirum & aqua lugebat. Flebile hoc spectaculum prolixè ostendit, quàm varia lethi genera miseris mortalibus insidientur.

V.

V. In Valachiam delati naves reliquerunt, & terrestri itinere Ibrailum civitatem Turcicam petierunt, in qua etiam ad commendationem Turcici Centurionis perquam benevolè ab incolis excepti fuerunt. Cæterùm cùm in penitiores Valachiæ partes penetrassent, multò jucundiorum rerum omnium faciem invenerunt; necessaria enim ad ulteriorem viæ continuationem eis affatim suppeditabantur: stabant quoque jam in procinctu plaustra & currus, qui impedimenta, sexùmque infirmiorum de loco in locum transportarent. Hoc beneficium scaturiit ex liberalitate Principis Valachiæ, ad quem Excellentissimus Comes Harrachius, Ordinis nostri studiosissimus, plenas officiorum litteras exaraverat, suppliciter rogans, ut Patrem cum redempta caterva illinc transiturum ope com meatuque juvaret; quod & per omnem regionem suam Princeps ubertim præstitit. Ideoque cùm centurio a Magno Vezirio Patris custodiæ adjunctus ad Principem invisendum perrexisset, ut sui Domini mandata expleret, P. Redemptor, eadem occasione usus, epistolam ad eundem Principem perferendam illi tradidit, in qua gratias egit luculentissimas pro benignitate, auxiliò & liberalitate, quibus Redemptio in ejus ditionibus cumulata fuerat, impendiò juxtà se dolere testatus, quòd viva voce suam gratitudinem persolvere nequiret, quia redemptæ catervæ, ex tot hominibus constanti, semper invigilare deberet: quæsit tamen, utrùm salvi conductûs litteræ ab aula Viennensi jam advenissent? cui Princeps deinde in hunc modum respondit:

1700.
Valachiæ
Principis be-
neficiæ,

Ad Comitum
Harrachii
commendationem,

P. Redemptoris
litteræ ad
Principem

Admodùm Reverende Pater!

Gratò animò accepi honorandas Admodùm Reverende Paternitatis Vestræ litteras, transitum redemptorum captivorum significatorias, sed gratiori longè voluntate ejus religiosam Personam acceptâssem, si eam, prout sperabam, contemplatus & veneratus fuissim. Sed quoniam pro voto res non successit, hîsce meis humanissimè Reverendam Paternitatem saluto, & precor, ut præsens piissima redemptorum captivorum executâ functio sit pro gloria DEI, & Sanctissimæ Matris Ecclesiæ spirituali fructu, ac Reverende Paternitatis Vestræ solatio. Cùm autem certi Passus pro Admodùm Reverenda Paternitate Sua in finem captivorum ab Excellentissimo Domino Comite ab Harrach ab aliquo tempore missi, Constantinopolim transmissi non fuerint, hac spe fretus Reverendam Paternitatem tum illis captivis via Russicensi (prout Excellentissimus Dominus Orator Comes ab Oettingen primò mihi nunciaverat) transiituram; ideò illos Passus per Expressum meum ad Comitem de Leinigen promoveo per manus Reverende Paternitatis deferendos: poscendo, ut Reverenda Paternitas tum de bona Passuum tardiori

Principis Va-
lachiæ re-
sponso.

1700. perceptione, tum de defectu, qui in transitu per hanc Provinciam ob ejus paupertatem contingere potuit, ignoscere velit. Certa existens, quod ad omnes exercendos pios affectus pro possibilitate me applicare semper sum paratissimus. Cujus divinis orationibus me recommendando semper maneo.

Admodum Reverendae Paternitati.

Devotissimus & ad servitia paratissimus
VALACHIAE PRINCEPS.

Datum Poslechi die 3. Augusti 1700.

C A P U T XVI.

Ulterior per Transilvaniam & Hungariam profectio. Viennam pervenit Redemptio & causa fit alterius Redemptionis in Africa.

In Transilvania pari benevolentia recipiuntur.

I. CUM Valachiam ferè omnem itinere satis commodo emens si fuissent, P. Redemptor in ipsis propè Transilvaniae confiniis ad Caesareae militiae Praefectos nuncium cum litteris ablegavit, iisque suum cum redemptis captivis adventum significavit, & com metu adjuvari petiit. Haec epistola delata fuit ad Excellentissimum Comitem de Leiningen Caesarei Exercitus Ducem & Burczlandiae sive districtus Barciensis in Transilvania Gubernatorem, qui Patri officiosissime rescripsit, eique suam benevolentiam & studium erga captivos prolixè testatus est. Vix juga montium superaverat redemptorum caterva, cum obvium habuit eundem Dominum Comitem eximia charitate singulos excipientem. Sequenti luce singulis hospitium & victus assignatus fuit; cumque dies illa in Dominicam incidisset, quae anniversarium Virginis DEIPARAE in caelos assumptae festum eò annò Orbi Christiano attulerat, voluit Excellentissimus Comes, ut redempti captivi tantillum temporis suae quieti & devotioni impenderent, ipse verò P. Redemptor secum in urbem concederet, ubi paratum esset reperturus hospitium. Ast Pater, quamvis humanissimas pro tanto favore gratias rependeret, negavit sibi integrum esse, captivorum redemptorum curam dimittere. Manè tamen sequentis diei, cum alia oblata fuisset occasio dimittendi omnes ad rem divinam vi Ecclesiastici praeepti obeundam, P. Redemptor Coronam, praecipuam nimirum Burczlandiae urbem, se protinus contulit, ubi ipse ingenti pietate animi sacram hostiam DEO immolavit, & Comitem convenit, a quo perbenignè exceptus, & prandio admotus fuit, receptisque litteris salvi conductus octoginta plaustra cum sufficiente in plures dies annona obtinuit. Ne autem quidquam in itinere desiderare posset, idem Excellentissimus Comes in omnia loca suae jurisdictionis subiecta, ubi Pater cum

cum Redemptis erat transiturus, litteras expedivit, quibûs mandavit, ut incolæ P. Redemptorem beneficè reciperent, eique res necessarias gratuitò ministrarent. Præterea cuidam suorum injunxit, ut citato equi cursu Cibinium proficisceretur, & Comiti Rabutino Supremo Transilvaniæ Præsidi P. Redemptoris adventum nunciaret, numerumque redemptorum captivorum eidem exhiberet, quatenus ille tempestivè pararet, quæ ad ulteriorem viæ continuationem necessaria putaverit.

II. Resumpto itinere, ut Hermanstadium sive Cibinium pervenerunt, P. Redemptor Excellentissimum Dominum Comitem Rabutinum, qui in Transilvaniæ Principatu summâ rerum potiebatur, allocutus de modo in reliqua profectioe servando consuluit. Ambo autem in hanc conspiraverunt sententiam, ut illi, qui ex Transilvania oriundi essent, ad proprios nunc penates se conferrent, Polonis quoque discedendi potestas fieret, ut vicinam patriam suam citius repetere possent: Cæteri verò bipartito agmine ingrederentur, quorum alterum ex Hungaris conflatum Tokainum tenderet, ibidemque dissolveretur, datâ cuivis licentiâ in proprios lares demigrandi; alterum autem, ex Germanis constans, recto tramite Viennam Austriæ deduceretur. Sic nimirum imminutò numerò reliquorum transitum indigenis minùs fore molestum, & redemptis captivis multò commodiorem. Ità factum est, assignatis cuique redempto in locis, quæ transitori erant, uno pane castrensi & duobûs grosis, idque ex mandato Clementissimi Cæsaris, qui hæc eis e proprio suo ærario suppeditari jussit. Ante profectioem P. Redemptor supra laudato Excellentissimo Domino Comiti valedixit, eique pro amplissimis beneficiis acceptis, debitas gratias persolvit: quamvis autem ab eodem, & Serenissima Coniuge illius impensè rogaretur, ut in eorum palatio aliquot diebûs ab itineris lassitudine respiraret, ac deinde veredariis equis, quos ipsi suis sumptibûs Patriæ suppeditaturos promiserant, captivos redemptos lento passû præcedentes consequeretur, minimè acquievit, sed humanissimis verbis oblatam gratiam declinavit, nihilominus oblata munera humiliter accepit, quòd illis pro sublevanda pauperum viatorum necessitate opus haberet. Hi sanè nobilissimi Coniuges semper in nostrum Ordinem fuère beneficentissimi, suumque erga nostros affectum pluribûs deinceps argumentis comprobârunt.

III. Relictâ igitur Transilvaniâ per Hungariam proficiscentibus oppidorum Præsides hospitia cum alimentis liberaliter subministrârunt, quocunque tandem sive in meridie ad prandium, sive vesperi ad cœnam pervenissent. Pesthini transmissò Danubiò Budam intrârunt, indèque digressi paucorum dierum intervallò Viennam Austriæ attigerunt duodecimâ Septembris, quæ in diem Dominicum inciderat, quo planè tempore festum Sanctissimi Nominis Gloriosissimæ Virginis DEI Matris MARIÆ ab Innocentio XI. Pontifice Maximo ob solutam ante annos septemdecim eadem duodecima Septembris, in Dominicam incidente, a Turcarum obsidione Viennam, paulò post institutum, solemnè ritu &

1700.

Cibini Transilvani & Poloni in terras suas dimittuntur.

Cæteri in duas turbas dividuntur.

Commeata ex Cæsaris ærario providentur.

Comitis Rabutini affectus in Patrem & Ordinem nostrum.

Post emensam Hungariam Viennam perveniunt.

12. Septembris.

1700. publica supplicatione in urbe celebrabatur. Postquam itaque in nostro Conventu Viennensi percrebuit, redemptorum agmen advenisse, tota religiosa nostra Communitas cœnobii cruce & Redemptionis labarô præcedente extra portam Carinthiacam captivis redemptis a meridie obviam prodivit. Ipse quoque Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius, ut majorem splendorem huic solemni ingressui adderet, in propria persona adesse voluit, cui se adjunxere Dynastæ permulti ac Proceres cum innumerabili ferè populo. Redemptorum Christianorum turbam comitabantur tubicines & tympano-triba hilares clangores in applausum per urbis compita spargentes, ut dies illa specimen quoddam triumphantis Romæ haud invenustè referret. Musici consuetos modulata voce concinebant psalmos, captivi a tyrannica liberati servitute Sanctissimæ TRINITATI in gratiarum actionem alta voce laudes, ac preces perolvebant. Tenuit universam spectantis populi multitudinem, cum hæc sacra pompa per vicos & plateas transfret, suavissimus pietatis sensus, & plerisque lacrymas eliciebat tenebritudinis affectus. Ad nostri cœnobii templum ubi perventum est, recitata usitato more ipanegyri, solitisque comprecationibus peractis idem Eminentissimus Cardinalis magnam pecuniæ vim P. Redemptori tradidit, ut eam viritim inter redemptos divideret; quatenus hoc subsidiô aucti absque onere mendicandi ad suos remeare possent. Verba sanè non suppetunt, quibus dignè explicem, quantam plenus hic pietatis triumphus in omnium animis exultationem excitaverit; quisque suos instituit quærere notos, sciscitari de amicis, gratulari de libertate, & Sanctissimæ TRINITATI laudes fundere.

Redemptio-
nis ingressus,

Comitatur
eundem Car-
dinalis, &

Pecuniæ in
elemosynas
distribuendas
præbet.

Redempto-
rum nume-
rus.

Redimuntur
corpora, ut
consultatur
animabus.

Viaticô de-
sanctus.

IV. Sexta hæc fuit in serie Redemptio, in qua quadringenti & quadraginta duo CHRISTI fideles libertatem recuperârunt, quorum nomina, ætas & patria accuratè in vulgata tabula recensentur. Et tot quidem sunt, quos P. Redemptor adduxerat; universi autem, qui occasione Magnæ hujus Cæsareæ Legationis in libertatem sunt vindicati, numerum nongentesimum superârunt, ut in suis notis P. Redemptor annotatum reliquit *folio 23.* quin tamen eorum nomina expressisset: quod mihi hac de causa fecisse videtur, quia reliqui nullis nostræ Redemptionis facultatibus in patriam remigrârunt. Magna dein cura successit, ut alienô auxiliô destitutis, aut graviore egestate pressis misericordia impenderetur, quemadmodum vetusto more in Ordine nostro fieri consuevit, habita semper ratione periculorum, & præcipuè spiritualium, ut dum redimuntur corpora, consulatur animabus, hæcque a paganorum servitute liberatæ a vitiorum quoque sentina eruantur, atque ad eò totus homo in veram & Christianam libertatem asseratur. Factum est itaque, ut singuli, priusquam dimitterentur, congruô viaticô donarentur, admoniti prætereà, ut vitam Christiano nomine dignam viverent, Sanctissimæ TRINITATI pro beneficio Redemptionis gratias agerent, & pro Benefactoribus, quorum elemosynis adjuti præsentis libertate gaudebant, DEUM orarent. Multi eorum his sermonibus inflammati seriô

feriò proposuerunt, ex eo tempore per omnem deinceps vitam Christianam pietatem colere; plerique se decem, alii pluribus annis recordati peccata sua non confessos, qui Sacerdotum neminem toto captivitatis tempore viderant, nunc frequentem eorum copiam nacti de tota vita sua peccatorum confessionem instituerunt, intimo cordis dolore propter DEUM ab se offensum compuncti delicta sua fusis etiam lacrymis deploraverunt.

1700.
Conitentur.

V. Cæterum, ut ingentia animarum lucra prosequar, quæ ex hac Redemptione ortum habuerunt, ea satis luculenter patuere, quando quinquaginta utriusque sexus homines, qui minis ac sævitie Turcarum compulsi, aut potius perculsi a salvifica CHRISTI fide antea defecerant, & Mahometi nomen dederant, P. Redemptoris præsentia erecti, nihil non egerunt, ut ab heris suis profugerent, seque in Oratoris ædes reciperent, ubi gemitibus & lacrymis testabantur, se fame, fustisque ad defectionem fuisse adactos, semper tamen in animo detestatos fuisse, quòd corporis fragilitate supplantati perpetraverant: aiebant autem, nunc sibi nihil magis in votis esse, quàm ut Sanctæ Matri Ecclesiæ, a qua deviaverant, denuò reconciliarentur. Ferociter quidem obstrepebant Turcæ, asserentes id lege sua cautum, ne qui sectæ suæ aliquando initiati fuissent, ad aliam fidem transirent, minùs terrâ suâ excedere permetterentur. Nihilominus tamen Magnæ Legationis auctoritate emolliti pretium receperunt, veriti nimirum, ne utriusque rei, servorum scilicet, & lytri jacturam facerent diutius obsistendo. Momorderat id vehementer Muffium, supremum eorum sacrificulum, qui propterea sæpius apud Magnum Vezirium questus est. Ambo nihilominus connivendum putarunt, ne ob causas leviores pacis consilia turbarentur; unde facillè colligi potest, quàm ferventer Turcæ Cæsaris amicitiam ambiverint.

50. Renegati
reverti.

VI. Fuere pariter multi sectarii, Lutheri & Calvini placitis imbuti, quorum alii avitos errores cum vinculis illicò deposuerunt, alii spem proximam suæ conversionis præbuerunt, certisque nunciis postea compertum fuit, quosdam eorum spem nequaquam sefellisse. Duo duntaxat, quorum unus utriusque oculi usu carebat, alter verò, qui eum stipis quærendæ causâ Galatæ circumducebat, in alta mentis pertinacia persistenterunt; cæcus uterque ex Divini Verbi Oraculo, CHRISTO asserente: si cæcus cæco ducatum præstet, necesse est, ut in foveam uterque cadat. Verumtamen quod aliorum culpa labefactat, nihil hujus Redemptionis splendori detrahit, cum pretiosissimus CHRISTI sanguis pro omnium mortalium redemptione effusus sæpè sæpius suo frustretur effectu, non defectu valoris, utpotè infiniti, sed perversè viventium voluntate.

Sectarii ad
Catholicam
fidem conver-
tuntur.

Duo pertinaces in suis
erroribus.

VII. Copiosam hanc reddidère captivorum Redemptionem Cæsarei Magni Oratoris, Comitæ Oettingenii auctoritas, & vigilans industria Comitæ Ludovici Sinzendorffii, maximè autem Cardinalis Kolloniczii munifica pietas; hic enim pauperum & præsertim captivorum sollicitus Pater ingentia ad hunc finem, ut

Hujus Re-
demtionis
Promotores.

1700. superius memoravimus, contulit subsidia; quæ sicut in terris nulla unquam obliterabit vetustas, ita in cœlis jam beata, ut piè credimus, coronat æternitas. Demum benè sperare nobis licet, ex hujusmodi deinceps Cæsareis ad Portam Ottomannicam Legationibus eximios in horrea Domini a nostra Redemptrice Familia fructus relatum iri: spes horum, quinimò & res ipsa in sequentium annorum commentariis non semel patebit. Omnia tamen hæc suo tempore multò magis maturefcent, & in lætiorē uberiorēque segetem excreſcent. Id sanè spondet claris igniculis Austriaca Pietas, populi studium, & sacri Ordinis nostri ac Instituti genius. Nullus non ideo labor amplectendus, nullum periculum non suave, ubi in ipsis ærumnis pars magna dulcedinis est, pro CHRISTO militare, & pro animarum salute quàm honestissimè defungi.

Felix hujus
Redemptio-
nis fuit suc-
cessus.

VII. Porrò hujus expeditionis successus Ordinis Majores diu multumque animò suspensos tenuit; noverant enim tenues facultates in illa Redemptione, quæ hanc proximè antecesserat, penitus exhaustas fuisse: P. Josephum a Sanctissimo Sacramento virum quidem esse insignis pietatis, ast de suo duntaxat profectu spiritali sollicitum, & ab omnibus negotiis forensibus plus nimio alienum, veluti annis observaverant benè multis, ut proinde nunquam adhuc tali muneri adhibitus sit; sperabant tamen, eum sub Magnæ Legationis ductu aliquid saltem effecturum. Verùm supra spem & expectationem longè optatissimam evenerunt omnia: facultates mirum in modum augebantur, quinimò expensarum sumptus receptionis computum notabiliter excedere videbantur. P. Redemptor, quod credi, aut concipi priùs a plerisque haud poterat, se pro animarum salute exhibuit, gessitque virum gnavum & supra vires operosum, debili namque in corpore ferventior agebat spiritus, cujus impulsu actus nullam sibi indulſit requiem, sed diu noctumque pro explendo munere suo agonizavit.

Hæc Redem-
ptio causa est
alterius in
Africa.

VIII. Aliud Redemptionis hujus occasione accitum est Ordinis decus singulare; ex hac enim, veluti fonte quodam foecundo, pullulavit alia, quæ auctoritate Pontificia in Africam extra ordinem suscepta fuit: Sic alia negotia ex ipsis nascuntur negotiis. Attendèsis: INNOCENTIUS XII. Pontifex Maximus in omnes ubique pauperes æquè liberalis, ac misericors, supremis jam vitæ suæ diebùs cum certis nunciis de felici progressu nostræ Redemptionis Constantinopolitanæ edoctus fuisset, simili pietatis ardore succensus statuit suam beneficentiam ad ipsos quoque pauperes captivos, sub jugo infidelium gementes, extendere, eorùmque calamitates suo ære sublevare; ad hunc itaque finem obtinendum quadraginta scutorum millia assignavit, quibus magna turba miserorum nativæ libertati restitueretur. Ne autem tam salutare propositum irritum evaderet, quatuor Cardinalibus hujus Decreti executionem commisit, ipse verò post paucos menses die nimirum decima octava Septembris piè in Domino requiescens ad beatam æternitatem transivit. INNOCENTIO defunctò communè Patrum Purpuratorum suffragiò IX. Kalendas Decembris eidem
in

in Pontificatûs Sede legitimè successit Cardinalis Albanus, CLEMENS XI. nuncupatus, unus ex illis quatuor viris, quos Antecessor ejus executores hujus operis constituerat. P. Petrus a JESU, qui eo tempore in Romana Curia Generalis Procuratoris munere fungebatur, suâque sollicitudine propagationis nostræ primordia plurimùm juverat, de præsentis Germanica captivorum Redemptione, simul & de hujus Pontificis electione mirificè exhilaratus brevem historiam ejusdem Redemptionis, prout illam Viennâ ad se perscriptam acceperat, suo nomine concinnavit, cui pro mantissa nomina captivorum, ea occasione Constantino- poli a vinculis absolutorum, ut in tabulas relata fuerant, subjunxit, libellô Romæ in Typographia Petri Oliverii excusô, & CLEMENTI XI. Pontifici Maximo inscriptô. Hôc Opusculô secum assumptô die vigesima prima Decembris paulò ante Natalitia Festa Domini nostri JESU CHRISTI Summi Pontificis allocutum expetiit, ejusque pedibus advolutus ad exemplar Bethlehemiticorum Pastorum, & Magorum ex Oriente Sux Sanctitati exquisitâ reverentiâ hoc munusculum obtulit, mole quidem sua exiguum, sed re, quam exponit, aurô, thure & myrrhâ pretiosus. In ejusdem codicis dedicatoria Epistola, quod caput est, expressis verbis insinuavit Pontifici, Ordinem Trinitarium aliam parare Redemptionem, si radiantissimum Albani Stemmatis Sidus non secus, ac Magorum stella ejusdem bonam voluntatem suo influxu animaret. Hâc loquendi formulâ piam defuncti Pontificis Antecessoris dispositionem tacitè designavit, ut ejus memoriam in moderni Pontificis mente refricaret. Quamvis ille paulò inferiùs intentionem suam clariùs exposuerit, quando dixit: *Cuncta prosperè evenient, & jam bujus splendentis Astri defluviò nova Redemptio lactescit, cum eidem agenda, etsi super vires & merita me delegeris.*

IX. Hoc levidense munusculum charitatis impulsu porrectum, & inter profundissimæ reverentiæ contestationem oblatum Sanctissimus Pater perquam benignè accepit, & tot oves ad CHRISTI Mandram, Ecclesiam, postliminiò reversas velut Primitias sui Pontificatûs aspexit. Consiliò deinde cum purpuratis Patribus initò decrevit, partem illius pecuniæ, quam Piissimus Antecessor suus pro Redemptione captivorum deputaverat, eidem P. Petro a JESU Procuratori Generali largiri, quâ obtentâ confestim ille in Africam trajecit, ibidémque centum, quadraginta & unum Christianos captivos a vinculis & servitute barbarorum exemit, quos ovantes Romam adduxit annò proximè insequenti. Unde haud obscure licet conjicere Viennensem nostram captivorum Redemptionem Romanæ illicium dedisse simul & auctoramentum. Sed jam de his satis, dum ad alia properamus.

CAPUT XVII.

Vita Ven. P. Joannis a S. Augustino cœnobii nostri Viennensis Ministri & Fundatoris.

I. **D**ivina Majestas, quæ inaccessis consiliorum rationibus providè omnia, sapienterque moderatur, solet famulos suos,

FFF

quos

1700.

Catalogus
captivorum
offeratur Pon-
tifici,

Clariùs, quid
velit, expri-
mit.

Redimuntur
141. captivi.

Quidam spe-
cialibus præ-
veniuntur
gratiis.

1700. quos pro rebus magnis agendis, & illustribus operibus perficiendis elegit, singularibus quibusdam ornare virtutibus, cumulare donis, & gratiis ditare. Sic Beatissimam MARIAM Virginem, DEI Filii futuram Genitricem, ab originalis peccati labe præservavit, S. Joannem Baptistam Domini Præcursores in matris utero sanctificavit, Divum JOSEPHUM DEIPARÆ Virginis Sponsum & CHRISTI Nutricium perpetuæ Virginitatis flore decoravit, SS. Apostolos, rudes antea piscatores, priusquam eos ad prædicandum Evangelium per universum Orbem dimitteret, sub ignearum linguarum schemate S. Spiritus Charismatis replevit. Id cum in aliis Sanctis DEI hominibus variè ante me observatum a multis, & horum exemplis plena sit omnis Ecclesiastica Historia non diutius immoror, sed ad vitam, & res gestas P. Joannis a S. Augustino Viennensis nostri cœnobii Ministri, Patris ac Fundatoris omni fide recensendas me convertito.

Patria & natalis.

Litteris imbuatur.

Ad Ordinem nostrum anhelat.

Tyro.

Profectus voti.

Ad Episcop. a.

Studia.

Cornelius Nepos in Militia de p. 7.

II. Natus est P. Joannes a S. Augustino in Hispaniæ oppido Gomeziglo, quod idem sonat ac parvus Gomezius, Salmanticensis Diocesis duabus ab eadem urbe leucis remoto. Parentes habuit honestos, vitam ruri agentes, a quibus in timore Domini sollicitè educatus est. Cum adolescentiæ annos attigisset, Grammaticæ condiscendæ admotus fuit: emensò autem curriculò mansuetiorum litterarum movente fortiter S. Spiritus gratiâ & propria inclinatione suaviter ducente religioso cuidam Ordini adscribi vehementer anhelavit. Quia verò tot inter sacros cœtus hærebat ambiguus, cui potissimum nomen daret, præ cæteris ei arrisit nostra Excalceata Religio Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum, cujus alumnos austeriori vitæ addictos modestè vivere, ac humiliter DEO servire perspexerat.

III. Toleti proinde (ut memorant) ad Ordinis tyrocinium admissus judicii maturitate præfulsit, & in excolenda religiosæ vitæ disciplina cæteris fuit virtutis exemplum & incitamentum, brevique dedit ea probitatis specimina, ut omnium suffragiis dignus censeretur, qui exactò probationis annò reliquis Ordinis nostri municipibus solemnè professione aggregaretur. Nuncupatis itaque religiosis votis jam non se hospitem amplius & advenam arbitrabatur, sed ex S. Pauli sententia, civem Sanctorum & Domesticum DEI, ut proinde nunc multò strictiorem obligationem sibi impositam crediderit in virtutum stadio impigrè progrediendi, & ad spiritualis vitæ perfectionem tendendi; noverat enim in via virtutum non progredi, esse regredi: unde quotidianis incrementis in spiritu proficere satagebat, efflictim sollicitus, ut consummatæ virtutis imaginem in se exprimeret. Altioribus deinde scientiis animum intendere jussus, Cordubæ Philosophiæ, Salmanticiæ verò Theologiæ cursum absolvit.

IV. Ea jam cum esset ætate, virtute, ac scientiâ præditus, ut non solum de eo benè sperare, sed confidere possent Ordinis Majores, velut olim de Miltiade cives Athenienses, *talem futurum, qualem cognitum judicârunt.* Cum igitur spectatis talentis ejus ad id maximè idoneus putaretur, ut alios in via salutis erudiret,

&

& tyronibus genuinum Religionis spiritum instillaret, eorundem Magister renunciatus fuit. Ille minimè nescius quanti momenti hæc esset provincia non modò plena laboris, sed & conscientiæ, reddendæque rationis, ipse sibi diffusus ad onus vehementer expavit, tanto munere minùs se dignum censere, tergiversari, deprecari, effugia circumspicere, quærere; minimus enim suis in oculis videbatur sibi, qui omnium oculos in se converterat. Prævaluit tamen propriæ demissioni studium obedientiæ, & Majorum auctoritas id severè præcipientium. Itaque divinò fretus auxiliò munus aggressus conceptam de se opinionis expectationem ex asse implevit; recentes Ordinis plantulas per arduam virtutis semitam manuducens præviò virtutum suarum exemplò & inculpata vitæ integritate ad rigidioris vitæ fastigium provexit.

V. Qui tam solerter juniorum animos excoluerat, tandem annò Domini M. DC. LXVIII. ut veteranis quoque præluceret, creatus est cœnobii Vicensis Minister, quò officio perfunctus deinde ex electione sequentis Generalis Capituli in aliud triennium Domum nostram Barcinonensem administravit; utrobique de promovendis tam spiritualibus, quàm temporalibus Ordinis incrementis impensè sollicitus. Confectò alterò triennalis Ministerii curriculò, cùm ex vigore constitutionum in Ministrum alicujus Conventûs eligi non posset, nisi in Matrice suæ Provinciæ, cœpit tantò ardentius interiori animæ culturæ vacare, quanto liberior erat ab exterioribus negotiis, ut, si quæ fortè ex domesticarum rerum sollicitudine, veluti fieri solet, propriæ animæ dispendia emerfissent, ea nunc per liberius otium inquireret, severè reprehenderet, & vindicaret, ipse sibi actor, testis & judex futurus. In hoc ille religioso otio, sive, ut meliùs dicam, negotio perrexit contractos animæ nævos eluere, DEI misericordiam implorare, veniam & auxilium petere, orationi, sensuum edomationi ferventiùs incumbere, ac piis exercitationibùs tempus redimere, & lucrifacere, quæcunque posset, pro anima sua. In subsequenti proximè Generali Ordinis conventu rursus Alfarenfis Minister electus est; volebant enim Patres congregati tantum lumen sub modio latere. At ipse, ad pedes Domini sedere suetus, humiliter oravit, ut id muneris alteri deferrent, professus, se tali magistratu prorsus indignum, & ad hoc officium gerendum non idoneum, neque priùs a precibus destitit, donec id, quod tam efflietum desideraverat, indeptus fuisset. Ut autem hujusmodi pericula meliùs deinceps effugeret, & privatæ vitæ sequeretur institutum, petiit Romam mitti, cujus etiam votis Superiores incunctanter annuerunt, nemine tunc adhuc cogitante, ipsum arcana quadam Divinæ Providentiæ dispositione ad Ordinis in alias terras propagationem præmitti.

VI. Romæ in cœnobio S. Caroli ad quatuor fontes de urbe annò M. DC. LXXVII. receptus perfecti ascetæ imaginem in se exhibuit; circumforaneas enim concursationes & vulgi rumores perosus unicam cellæ dilexit solitudinem, in qua spiritualium librorum lætione, rerùmque divinarum assidua contemplatione

1700.
Magister tyronum.

Minister Vicensis & Barcinonensis.

Constit. cap. 40. §. 1. n. 6.

Sua salutè studet.

Minister Alfarenfis, sed non administrat officium.

Romam mittitur.

Conversatio Romæ.

1700.
Occupatio-
nes ibidem.

spiritum pascebat. Quidquid autem satageret, latere tamen virtus ejus diu non potuit in populo perspicacissimo, & ad omnium hominum actiones mirè attento. Fuere non pauci, qui talem virum sibi jam pridem optaverant spiritualis vitæ ducem: hac de causa suæ statum animæ, dubia, & intimos conscientiae recessus ei palàm fecerunt consulturi de securitate sua, & tutissimo ad perfectionem itinere. Ille verò omnes averfatus novitates & neotericorum quorundam inventiones, aut potius decipulas, suavitatis suis spiritualibus filiis, ut in trita salutis via persisterent, quam SS. Patres per CHRISTI coelestis Magistri nostri præmonstrassent, & secuti fuissent crucis vestigia: ideòque Michaëlis Ludovici Molinos sacerdotis, Romæ tunc in magna sanctitatis opinione & hominum admiratione viventis, qui fucatâ pietatis larvâ, quam vaserrimè simulare noverat, eam doctrinæ & integritatis existimationem Romæ sibi pepererat, ut regendis Primatûm & præsertim nobiliorum matronarum conscientias passim adhiberetur, unde in ejus animum primò libidinis venenum, deinde error doctrinæ irrepsit, quò præceptus actus inter foedòs amplexus & voluptates naturæ (quia natura est) contemplativam, mysticamque Theologiam docebat, turpissimæ hæresis auctor effectus, cujus ipse doctrinam, antequàm adhuc spurcissimi hominis crimina patere cœpissent, semper improbavit, eamque sibi minimè tutam videri dicitavit, quod postea clariùs compertum fuit, contaminatissimis ejus moribus detectis, & turpissimis erroribus in lucem protractis, punitisque.

Averfatur
doctrinæ no-
vitatem.

Molinofii er-
rores impro-
bat.

Saluti pro-
ximorum in-
tentus.

Item Evan-
geliæ corundem
inopia.

Generalis
Procurator
Viennam
mittitur.

Obtinet fa-
cultatem
Viennæ cœ-
nobium fun-
dandi.

VII. Totum decennium P. Joannes Romæ exegerat propriæ semper & proximorum saluti gnaviter intentus; frequens enim agebat in sacro pœnitentiæ tribunali, animas ad veram pietatem manucebat, recta consilia suggerebat, dubia dextrimè extricabat, quid fugiendum, quid sequendum luculenter demonstra-
bat, afflictos consolabatur, & in meliorem spem erigebat. Ege-
nos, præsertim quos verecundia, aut sexûs pudicitia a publica
eleemosynarum corrogatione arcebat, stipe (quam ipse privatim
a diversis corrogaverat) clanculum submissâ adjuvabat. Annò Sæ-
culi currentis septimò & octogésimò spes affulserat Ordinem Vien-
næ Austriæ implantandi; Superiorum itaque jussu Procuratoris Ge-
neralis titulum admisit, eoque officio auctoratus iter ad Curiam
Cæsaris lætus suscepit, tempore licèt perquam incommodo, in
ipso nimirum mense Novembris. Longis deinde terrarum spatiis
emensis nona tandem die Decembris Viennam delatus in explen-
do munere sibi commisso nulli labòri, aut industriæ pepercit,
omnesque conatus eò direxit, ut difficillimum & implicatissimum
negotium ad felicem finem perduceret; quod ei etiam e senten-
tia cessit, quando inculpatò suò agendi modò, morumque can-
dore non solùm Optimatum, sed ipsius etiam LEOPOLDI I.
Augusti Romanorum Imperatoris gratiam impetravit, eaque suf-
fultus innumeras oppugnantium difficultates devicit. Feliciter
obtenta cœnobii Viennensis fundatione majore propagandi Ordinis
accensus studiò Venetiis quoque Trinitaria signa inferre
medi-

meditabatur, quas non minore hujus nostri Instituti necessitate laborare videbat; jamque potestatem ad hoc perficiendum a Superioribus obtinuerat, verum deinde urgentioribus præpeditis negotiis Viennæ constanter hæsit.

1700.
Idem cupit
Venetiis.

VIII. Hic ille inter nostros Religiosos non sinè magna sanctitatis opinione duodecim annis & tribus ferè mensibus vixit; sub cujus temporis decursu tribus vicibus ad Turcas profectus est, atque in hac triplici expeditione centum & novendecim captivos ab infidelium servitute redemit: quamvis autem numerus iste, si sequentium temporum Redemptionibus conferatur, exiguus censeri possit, attentâ tamen facultatum inopiâ, initiorum tenuitate, exantlatarum ærumnarum & laborum magnitudine amplissimus existimari debet. Neque solum in redimendis captivis semper sudavit, sed etiam novellæ plantationi nostri cœnobii Viennensis Præsidis titulô curam impendit, quo tempore pro ejusdem cœnobii majore Templo Primus Lapis Augustâ LEOPOLDI Imperatoris dexterâ in fundamenta locatus fuit. Deinde post annos non multos Minister, invitus licet, ejusdem cœnobii constitutus, munus ipsum cum vita posuit; cujus tunc virtutes, ut Sol in occasu splendidiore jubare effulget, magis etiam emicuerit, de quibus nos pauca in sequentibus.

Tres peregrin
Redemptio-
nes.

Viennæ Præs
fes.

Item Mini-
ster cœnobii.

CAPUT XVIII.

De virtutibus in specie P. Joannis a S. Augustino.

I. Multis de causis tam veteres, quam recentiores Historiographi recensendis illustrium virorum gestis calamos suos dedicaverunt, præcipuè tamen, ut eorum memoria litteris conservata Posteris calcar subjiceret, quò identidem stimularentur ad imitanda tantæ nobilitatis & præstantiæ exempla: proinde quos supra vulgus excelluisse noverant, aut vivis pietatis coloribus genuinam virtutis imaginem expressisse didicerant, eorum nomina Statuis, Obeliscis, & litteris, ære perenniùs duraturis, Seræ Posteritati transmittere conati sunt; ne puderet sequi, quos cum immortalis sui nominis gloria præcessisse recordarentur. Rectè ad hoc propositum scripsit Salustius, dum de bello Jugurthino inquit: *Nam sæpè audiivi, Q. Maximum, P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaras viros solitos ita dicere; cum Majorum imagines intuerentur, vebementissimè sibi animum ad virtutes accendi. Scilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in sese habere, sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere, neque prius sedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit.* Dum quædam hic loci de virtutibus P. Joannis dicere instituo, ad eundem scopum collimo.

Virtutibus
semper fuit
honor pro-
pter exem-
plum postera-
rum.

Salustius de
bello Jugur-
thino.

II. Humilitas itaque, quæ cæterarum est quasi radix & custos virtutum, sic ei cordi fuit, ut sæpè miraretur, quâ fieri possit, ut homo de humo sumptus, & in cinerem mox ac pulverem convertendus ausit supercilia attollere, aut superbè se

Humilitas
virtutum rae-
dix, custodia
que.

1700.

circumspicere? Quamobrem cum ipse esset fastus omnis & arrogantiae hostis acerrimus, verbis & actionibus suis veram cordis humilitatem praeferebat, humilia officia deperibat, sublimia abhorrebat, & nisi obedientiam ceu Superiorem suum respexisset, nunquam adduci potuisset, ut caeteris aliquando praesesset. Tanta ei inerat suae vilitatis opinio. Porro si quid recte faceret, quod aliorum plausu celebrabatur, illud tantoperè extenuabat, ac deprimebat, ut totam facti laudem DEO, bonorum omnium auctori, tribueret, se verò semper servum inutilem profiteretur. Sui contemptum in deliciis habebat, nec facile aliis contradicere solitus. Verba, quae loquebatur, submissa voce proferebat; noverat enim, clamoriferum sermonem & nimis sonora verba non ex alia officina prodire quam pectore superbo.

Obedientia
nobilitas operum.

III. Obedientia, quae de proprii iudicii submissione fronde-scit, fuit in eo exactissima, dicere solitus: *bilarem datorem diligit DEUS*, operaque nostra tantum habere meriti, quantum eis inest obedientiae, caetera verò a propria voluntate foetere. Si quid arduum & difficile ipsi praeciperetur, aut ex solo nutu id Superioribus suis gratum fore cognosceret, duo ibi considerabat, nimirum a CHRISTO, & pro CHRISTO ea sibi injungi; hinc opus injunctum non solum bene, sed quantum fieri poterat, optime perficiebat.

Castitas virtutum pretiosus natio.

IV. Virtutem castitatis maxime coluit, probe gnarus, nos illam CHRISTO & Angelis assimilari. Omnia adhibebat media, quibus virtutum unio tam pretiosus custoditur & servatur. Quod turpitudinem aliquam redolebat, nemo eo praesente dicere audebat, adeo omnes vultus ejus severitatem reverebantur. Quando necessitas, aut spiritualis profectus flagitabat, ut cum sequiore sexu sermonem misceret, oculos humi defixos habuit, talesque personas paucis, sed efficacibus verbis expedire consuevit. In omnibus circumspectus erat, ne per sensus exteriores inimico porta pateret. Constans quoque fuit opinio in contrarii vitii labem eum ne cogitatione quidem deliquisse. Scilicet Angelum quendam in carne humana, aut certe hominem caelestem in se referebat.

Sensuum custodia.

Paupertas Evangelica. Ejus suppellex.

V. Quia voluntariam paupertatem se inter alia vota profectum semper meminerat, non solum superfluis, verum etiam necessariis libenter caruit. Mundities tamen ipsi fuit in pretio, fordes averfabatur. Vestes attritas, aut vitium patientes ipse sibi refarciebat, in quem ille usum servabat forfices, acum, digitale & aliquot fila, quae utensilia solummodo cum perspicillis post ipsius obitum in cellae ejus supellectile reperta fuerunt, praeterea nihil ad proprium usum habere videbatur. Parva Biblia, quae anno 1670. die 21. Augusti ad usum ei concesserat P. Iosephus a JESU Maria Provincialis, Viennensi conventui resignavit, ut publicae lectioni in triclinio servirent. Tanto autem studio parsimoniam colebat, ut si quid superfluum judicaret, protinus auferret: unde si vidisset candelam minus necessariam ardere, eam confestim extinxit. Et ille quidem necessaria largè semper providit,

Biblia sacra.

Parsimoniam commendat.

super-

superforanea tamen e medio sustulit, aut in futuros usus reservavit, quam etiam sollicitudinem iis commendavit, qui familiarium rerum curam gerebant; meminissent nimirum, nos pauperes esse, & quæ de communi penu administrarentur, ex piorum beneficentia venire, nec sine magno Religiosorum fatigio precibus carissimè emi.

1700.

VI. In se ipsum velut in capitalem hostem animadvertibat, ut rebellem carnem spiritui subjugaret: caput, tametsi calvum, ad perpetuam damnavit nuditatem. Victu adeò sobrio & frugali utebatur, ut aleret duntaxat vitalem flammulam, & mortem arceret: si quis fructus, aut edulium ejus palato magis arrideret, eò plerumque genium fraudabat. Nullam exhorruit frigoris, aut æstus intemperiem, cum proximi charitas, vel Redemptoris præsertim, quò fungebatur, urgeret officium, aut Ordinis id posceret spirituale augmentum; in his nullam sibi indulgit requiem, longinqua sæpè, multisque molestiis obnoxia arripiens itinera. Consuetas in Ordine pœnitentias sæpè ultrò suscipiebat, in vigiliis, præsertim DEIPARÆ Virginis, aut Sanctorum, quos speciali cultu prosequabatur. Flagris in corpus ita sæviebat, ut crepitante ictuum strepitu horrorem incuteret audientibus. Infirmi- tates suas & inveteratas ægri- tudines sorores suas reputans incredibili tolerabat patientiâ, nec minore dissimulabat constantiâ. Nullas unquam adhibuit medicinas, nec levamen aliquod unquam quæsit. Sæpè inter maximam dolorum sævitiem interfuit communibus actibus, quibus Religiosi nostri tam in choro, quàm alibi occupantur. Adeò autem tenax erat religiosæ disciplinæ, ut sibi legem indixerit inviolabilem in nullo prorsus aliquam excusationem prætendendi, aut ab Ordinis statutis deflectendi.

Rigor vite
ejus.

B. Virginis
devotissimus.

VII. Quamvis autem erga seipsum tantam severitatem exerce- ret, erga alios tamen mirè comis erat & benignus; eosque, quibuscunque posset modis sublevabat & consolabatur. Id præsertim experti fuerunt morbò aliquò laborantes, quos singulis die- bus visitans piæ matris affectu reficiebat, eisque, cum Superio- ris munus administraret, non solum necessaria, sed etiam delicias sollicitè providit, dicere solitus: pauperes in Religione infir- mos aliunde non posse sperare subsidium, nisi ab ipsa sacra Reli- gione sua, quæ Mater est pia, non verò noverca filiorum suo- rum. Salutem & incolumitatem cujusvis Religiosi quàm diligentis- simè conservandam esse dicebat, etiam sacrîs Ecclesiæ vendi- tis ornamentis & vasîs, satis nimirum gnarus, quanta damna ex hujus rei neglectu in totum Ordinem redundant. Id ipsum in no- stro Cæremoniali strictè præcipitur & inculcatur. De nullo si- nistram suspensionem formabat, quin etiam eos, tanquàm læsæ charitatis reos, acrius objurgavit, qui defectum fratris intempe- stivè propalabant. Intolerabile vitium, ajebat, excusare se, & fratrem accusare; qui enim seipsum excusat, præterquàm quòd ex una duplicem culpam efficiat, proprium etiam amorem, per- niciosissimam illam religiosæ vitæ pestem luculenter prodit: qui verò alterum accusat, lethale vulnus charitati, quæ omnes in

Benignus et
pa alios, præ-
sertim ægros.

Religio Mæ-
ter non no-
verca.

Cæremonial
part. 3. c. 4.
S. 1.

Nullis tangen-
batur suspi-
cionibus.

Charitatis
defectus pro-
sternat.

1700. CHRISTO unit, & peccatorum multitudinem operit, protervè infligit, quò rursus nihil magis noxium cogitari potest.

Ejus ad
DEUM ora-
tio.

S. Augustinus
lib. 3. Confes.
c. 28. Ps. 41.

Pro Medita-
tione sibi de-
scribit librum
P. Molinae.

Precibus jun-
git jejunia &
alias peni-
tentias.

Nec peregrè
pias exercita-
tiones omit-
tit.

Praes ejus
in pugna ad
Salankame-
num.

Miles ab eo
scapulare ob-
tinuit, quo
deinde a mor-
te liberatus
fuit.

VIII. In oratione fuit assiduus, preces in multam noctem protraherebat: interdum, dum aliquid operis actitabat, de ardente corde pias quasdam sententias, aut Psalmorum versiculos, quasi totidem erga DEUM amoris sagittas, in cœlum evibrabat. DEO frequenter colloquens familiariter illa verba S. Augustini usurpabat: *Pondus meum amor meus, illò feror, quocunque feror.* Aut illos versiculos Regii Psalms: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te DEUS.* Et iterum: *Sitivit anima mea ad DEUM fontem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem DEI?* Hujusmodi deliciis anima ejus pascebatur: ruminabat verborum sensus, & levatis in cœlum oculis mente suspendebatur. Divinis in choro psalmodiis nunquam nisi urgentissimâ præpeditus causâ deerat, præter statas quotidie duas orationis mentalis horas, quas omnes secundum nostræ sacræ Regulæ instituta certis quotidie temporibus & horis peragunt, ipse plures sub noctem addidit. Ut in rerum divinarum contemplatione fieret exercitior, P. Molinae Carthusiani tractatum de Meditatione propria manu descripsit, eumque sibi quotidiana exercitatione admodum familiarem reddidit. Sæpè vidimus oculis nostris, cum alii honesta recreatione, quæ interdum spiritualibus studiis licitè interponi consuevit, animum levarent, ipsum in oede precibus incubuisse, vel in Ecclesia Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum visitasse, aut alias devotiones miro pietatis sensu obivisse. Appropinquantibus majoribus Festis D. N. JESU CHRISTI, ejusque Virginæ Matris MARIÆ, aut alterius Sancti, quem peculiari veneratione prosequeretur, multis jejniis, precibus, aliisque corporis afflictationibus ad illa ritè celebranda sese comparabat. Ab hoc ille vitæ tenore nunquam recessit, etiam cum peregrè ageret, laboriosisque itineribus fatigaretur. Cum Segedini in Hungaria apud Patres Ordinis Minorum S. Francisci, Redemptionis negotiis distentus, subsisteret, media quoque nocte in eorum societate chorum frequentavit, & hospitalitatem, quam ab optimis viris perceperat, modestiâ, humilitate, bonorum operum exemplò, & jugibus ad DEUM precibus compensavit. In cruentissimo illo ad Salankamenum contra Turcas armorum conflictu vicinum ascendit colliculum, ibidemque in genua provolutus CHRISTI e cruce pendentis imaginem manibus ferens *Psalm. 78. DEUS venerunt gentes in hereditatem tuam &c.* magna vocis & animi contentione identidem repetebat, donec nostri cæso ad interuersionem barbarorum exercitu consummatam victoriam reportassent. Eo tempore alia res memorabilis contigit, quam hic, tanquam in proprio loco, referre constitui, & ita se habet: Petierat ab eo miles paucis ante pugnam diebus scapulare Ordinis nostri, quod collo appenderet; in initio deinde prælii, cum pugna utrinque maxima contentione fereretur, plumbeus globulus ab adversa acie excussus hujus militis pectus invasit, vestes perrupit, sed ad sacrum scapulare delatus, innoxius substitit absque ulla mili-

militis læsione, quod ille constanter sacri tegminis virtuti & Patris precibus imputavit, prodigiosumque hunc eventum ubique prædicavit.

1700.

IX. Verba otiosa proferre, imò nec audire quidem sustinuit; averfabatur inutiles vanarum novitatum relationes & rumigerulas vulgi narratiunculæ, ut ex sequenti casu clariùs elucescet: Accidit fortassis, ut mercator quidam veteri amicitia Patri pridem notus, ei occurreret, qui conspecto amico gradum stetit, quæsitque: P. Joannes, quid novi? cui ille: omnes moriemur. Hòc inexpectato responsò percussus & compunctus mercator obmutuit, neque deinceps Patri audiendarum novitatum causam molestus fuit. Alios autem, qui similes ineptias ei proposuerant, tacite præterit, eosque hòc suo silentio commonefecit, de omni verbo otioso reddendam DEO esse rationem, & inutiles interrogationes nulla dignas esse responsione.

Otiosa verba
averfatur.Exemplum
singulare.

X. Ordinis disciplinæ inviolabiliter observandæ tantoperè studuit, ut, qui ejus acta lynceis etiam oculis explorabant, nec umbram levissimæ alicujus transgressionis in eo deprehendere quiverint. Minima perinde ac magna curabat, imò nihil eorum parvum ducebat, quæ a Regulis, Constitutionibus, Cæremoniæ libro, aut sacris Ordinis nostri consuetudinibus observanda decernuntur. Testes hujus veritatis, si vacaret, plures de nomine recensere possem, qui in ejus societate vixerunt, & nostra adhuc ætate superstites degunt. Vidimus ipsum, senili jam canitie venerandum, caput ad terram deponere, cum verbum aliquod in sui laudem a Superiore prolatum audivisset; is erat P. Josephus ab Angelis, annò 1695. Viennensis Minister electus, qui hac insperata electione percussus in gravi quodam ad universum cœtum sermone suos tanto oneri humeros impares afferebat, illique ferendo P. Joannem, hucusque Præsidentem, multò magis idoneum esse prædicabat. His verbis vix pronuntiatis religiosissimus vir protinus de sede sua confurrexit, & in genua provolutus caput pavimento appressit, quod pro solemnibus nostris, dum verbum laudis æquè ac vituperii audiunt in sui nihilum se reflectentes. Cæterarum quoque piarum consuetudinum etiam minimarum tenacissimus erat custos, & vindex acerrimus, præsertim in Superioris munere constitutus.

Regularis di-
sciplina str-
ctissimus.Observatio S.
consuetudinis
exemplum.

XI. Fecit ipse prius, quod docuit, ut proinde de ipso jure dici possit, quod Justinus *Historicorum lib. 3.* de Lycurgo scribit: *Nil lege ulla in alios sanxit, cujus non ipse primus in se documenta daret.* Diebus Dominicis, ut fieri solet, priusquam corrigendis fratrum culpis operam daret, semper de occurrenti Evangelio homiliam peroravit, & ex CHRISTI verbis, aut exemplis doctrinam proposuit animarum salutis proficuum; in qua id potissimum agebat, ut omnes ad exactam regularis disciplinæ observantiam promoveret, animaret, & inflammaret. Ab Ordinis nostri statutis ne lato quidem, ut ajunt, ungue recedebat, id enim nos DEO promississe dictitabat, acque communem esse obligationem, quæ nemo nostrum eximeretur. Hanc igitur ab aliis exigebat, eò tamen

Diebus Do-
minicis bre-
vem sermo-
nem ad fra-
tres habet, Ju-
stinus lib.
3. Historico-
rum.

1700.
Suaaviter agit
sum omni-
bus.

semper suavitatis temperamentò , ut religiosam disciplinam exemplò suò suaderet potius , quàm auctoritate censoria extorqueret , solàque ejus sinè voce præsèntia majorem disciplinæ persuasit reverentiam , quàm acrior aliorum reprehensio. Si quandoque verbis opus esset , efficacibus illis quidem utebatur , sed adeò felle vacuis , ut neminem non permoveret , præcipuè cum in sine lenibus quibusdam blandimentis prioris correctionis amaritiam edulcaret , qua arte perficiebat , ut licèt aliquis frontem jam prorsus perfricuisset , aut marmoris instar obduruisset , tantæ tamen charitatis igne emolliretur , & cicuraretur. Videlicet ut Claudianus canit :

Claudianus
in Manlii
Theodori con-
sulatu.

*peragit tranquilla potestas ,
Quod violenta nequit , mandataque fortius urges
Imperiosa quies*

De regularis
vitæ obser-
vantia dictum
ejus.

Magno ei erat solatio , mirisque gestiebat lætitiis , quando vidit religiosæ vitæ studium alicubi insigniter florere : contigit aliquando , ut Redemptionis peragendæ gratiâ Posonium pertransiret , ibidémque in domo nostra extremam rerum penuriam coràm intueretur. Hâc conspectâ indoluit quidem de tanta hujus cœnobii paupertate , lætus tamen fuit , quòd regularis disciplina in eo ad unguem observaretur. Dixit proinde : *Nos observemus nostra , DEO committamus cetera ; Providentia ipsius erit servis suis mittere necessaria.* Hoc sanè effatum luculenter ostendit , quanta viri hujus in DEUM fiducia fuerit. Veritatis tam audiendæ , quàm dicendæ fuit amantissimus : neque solùm mendacia , sed etiam quasvis verborum ambages averfabatur , quibus periclitatur , aut minuitur veritas. Sæpè cum S. Augustino dicere solebat : *Quid enim fortius desiderat anima quàm veritatem !*

Veritatis
amator.
S. Augustinus
Tract. 26. in
Joannem.

Sanctitatis
ejus fama.

XII. De cæteris ejus præclaris tum naturæ , tum gratiæ dotibus , atque rarioribus virtutibus longum esset differere. Quamobrem ut verbò absolvam omnia : *Sanctus* ab universis dicebatur , & tanquam talis ab exteris non minùs , quàm a domesticis colebatur , qui etiam in encyclica epistola , quæ pro vetusto more post obitum alicujus Religiosi nostri ad omnes Ordinis Superiores transmittitur , idipsum affirmârunt non modò exterorum testimoniiis , sed propriis etiam experimentis inducti. Multa præterea omisimus , ne dubia affirmarem ; sed neque ex Hispania de quibusdam certiores reddi potuimus , quæ aliorum propius agentium inquisitioni relinquimus. Unde de his atque aliis , ne prolixiores videamur , finem facimus , ut ad exitum mortalis ejus vitæ describendum accedamus.

C A P U T XIX.

*Ægrotudo postrema P. Joannis a S. Augustino , ejus-
que pia mors & sepultura.*

Mors initium
æternæ vitæ.

I. **N**ascimur , seriùs aut citiùs morituri ; & morimur in æternum victuri. Per mortalis vitæ mortem eluctamur ad immortalitatem , ut S. Paulus innuit , quando ad Colossenses scribit :

Mor-

Mortui estis, & vita vestra abscondita est in DEO. Ergo succidua dum alliditur ætas, magnum Christiani hominis est in hac vita solatium, propius intueri peregrinationis suæ terminum, finem miseriæ, laborum metam, exilii limitem, januam patriæ, nativitatem vitæ & beatitudinis præmium. Scilicet quotidiana experientia comprobatur veritatem illius sententiæ, quæ ex aureo calamo S. Joannis Chrysofomi profluxit: *Est mors bis, qui bene vivunt, translatio quædam ad meliora.*

II. Pridem noverat P. Joannes, quod certò futurum erat, incertâ licet horâ, ad quam se quotidie præparabat. Tandem tertiâ Septembris anni superioris nonagesimi noni certiore missionis suæ nuncium excepit: manè siquidem chorum ingressus, ut orationi mentali cum aliis vacaret, simul ac in genua procubuit, brachium dexterum repentino languore sibi torpere animadvertit, & concidere, ita quidem, ut illud non nisi alterius manûs adjutorio movere posset. Hòc malò tactus de loco surrexit, P. Commissarium Generalem ibidem orantem nutibus e choro evocavit, eique insolitum, qui sibi tunc acciderat, eventum indicavit: postea verò ad ejusdem P. Commissarii mandatum celam repetiit. Accersitur protinus Medicus, qui de hoc morbi genere consultus respondit: post viginti dies tam horribilem superventuram Solis eclipsem, qualis a multis retro sæculis conspècta non fuisset, atque adeò hunc brachii torporem nihil esse aliud, quam prævijum imminentis eclipsis effectum. Nulla proinde remedia dictare voluit, donec vidisset, quem post illud tempus effectum hæc infirmitas esset productura. Humanis itaque remediis sepositis P. Joannes ad cœlestem confugit animarum Medicum, eademque adhuc die ultimum missæ Sacrificium celebravit, in quo, ut sacram hostiam elevarer, dexteram manui a sinistra suppetias petere debuit. Licet autem deinceps a sacrificando jussus sit abstinere, quotidie tamen aliquot Missas devotissimè audivit, & sacra Synaxi animam refecit. Illis autem diebus, quibus fratres tyrones ad sacram communionem accedere solent, ille quamvis esset Minister cœnobii, suâ tamen personâ non indignum putavit in eorum societate divino epulo accumbere. Reliquum temporis, quod a domesticis negotiis ei supererat, in precibus & gratiarum actionibus consumpsit, nihil tamen propterea segnius sui officii partes explevit, sollicita semper mente excubans, ne se languente inimicus in agro dominico seminaret zizania. Communiter post meridiem clausis templi foribus omnes aras religiosè circumvixit, & ante illas prostratus suæ devotioni litavit. Labe omnes, imò & minimos defectus, quos alii vix observassent, aut nulli culpæ affines credidissent, ipse rigidus sui censor multis lacrymâs, gemitibus, variisque pœnitentiæ operibus expiabat. Inexplebilibus ejus se afflictiendi desiderii visa est divina pietas obstetricari voluisse, quando ei sub ultimis vitæ annis labores & infirmitates auxit, ut merita crescerent, quibus nobilior coronam adipisceretur. Id quidem adeò omnibus persuasum fuit, ut publicæ epistolæ superius memoratæ infereretur.

H h h h 2

III.

1700.

Ad Coloss. 3.

S. Jo. Chrysof.
hom. 37 super
Genes.Mortis nunci-
us apople-
xia.Hæc in futu-
ram Solis
eclipsem re-
secur.Cum fratri-
bus 9. Synaxi-
na sumis.

1700.

Ultimus apo-
plexiae afful-
sus.

III. Sequenti anno millesimo septingentesimo, tertia itidem die Martii, post sex prorsus menses, a primo apoplexiae tactu elapsos, feriâ quartâ post primam Dominicam Quadragesimalis jejunii; noctu, cum modicam, ut semper solebat, in cella, mensæ assidens, refectioem sumeret, repente violenta tussi oppres- sus post paucos screatus concidit, ac ægrè in lectulum delatus fuit. Amisso jam linguæ usu, mox frigida mortis sudor erupit. De novo hoc symptomate admonitus Superior jussit consuetis signis omnes religiosos convocari, qui ad moribundum accurren- tes, cum eum sensibus jam destitutum agonizare vidissent, ex- tremæ Unctionis Sacramentum ei adhibuerunt, quò percepto post modicum tempus ante decimam horam noctu inter fratrum comprecationes ingenti relicto sui desiderio animam tot meritis cumulatam suo reddidit Creatori.

Extrema
Unctio.Mors repen-
tina, sed non
improvisa.

IV. Repentina nobis hæc mors fuit, illi autem minimè im- provisa, utpotè, qui se quotidie piis exercitationibus ad ineun- dum æternitatis iter præparaverat, nullumque non diem sibi su- premum illuxisse crediderat. In funere nihil funestum in eo no- tabatur, dormienti, quàm mortuo similior, ut proinde haud im- meritò illa verba de nostro P. Joanne usurpari potuissent, qui- bus S. Bernardus Claravallensis Abbas Divo Malachiae quondam parentavit: *Mortuus vivere, & vivens mortuus putabatur, aded nihil intercidit, quod alterutrum disterneret; eadem vivacitas vul- tûs, serenitas eadem, qualis apparere solet in dormiente. Diceres mor- tem nihil horum tulisse, magis auxisse plurimum. Non est mutatus, sed ipse mutavit omnes.*

S. Bernardus
in vita S. Ma-
lachie. c. 31.Fanus & se-
pultura.

V. Ad funeris exequias, quibus ei ultima justa persoluta fue- runt, ingens confluit populi multitudo; advolaverunt quoque ad ejus inferias condecorandas duæ præcipuæ nobilitatis Matro- næ, quæ eum viventem sibi in conscientia arbitrum elegerant, ejusque post mortem memoriam tanta devotione coluerant, ut circumfusi populi oculos nihil veritæ ipsius pedes crebrioribus osculis libarent, illosque suis lacrymis rigarent. Rosaria etiam defuncti corporis attactu consecrata veluti nobiles reliquias cele- bris cujusdam Sancti æstimaverunt. Non dispari pietate plures alii affectum suum prodiderunt, utpotè, qui ob magnam, quam de illius Sanctitate conceperant, opinionem exanimem nobiscum, veluti communem Patrem amissum, deplorarunt. Obiit autem vir iste venerabilis sexagenario major, & tumultus est primus in novo claustrum, communi postmodum fratrum sepultura, cui tenui musâ inscripsimus olim sequens epitaphium.

Epitaphium.

Siste gradum, quisquis transis, & disce viator,

Cui tenearis idem vivere, cuique mori.

Hic Pater ille jacet celebri virtute Joannes,

Nempe Redemptor erat, quique Minister obit.

Vixerat hic aliis, sibi sic moreretur ut olim,

Mortuus, ut cælo viveret ipse sibi.

Jam vivit Superis, corpus requiescit: & bujus

Patris virtutes disce viator. Abi,

VI. Quod corporis ejus dotes attinet, staturâ ultra mediocritatem prominuit: vires nactus est validas, amplo, magnanimoque pectore suffultus: vultus venerandam gravitatem spirabat, citra ullam tamen affectationem: caput canitie decorum, calvities ad occiput ferè tendebatur: frons exporrecta, in qua ei tamen postremis annis tuberculus enatus fuit: genis macie, quæ rigorem notabant pœnitentiæ, confectis, oculi nihilominus vigore pleni nitebant, mentemque indicabant maximorum quorumvis negotiorum capacissimam. Mature ad requiem translatus est, ne proximè futuras & deinde secutas videret publicas orbis calamitates, nósque apud DEUM, ut piè speramus, nunc expectat,

1700.
Corporis ejus
habitus.

C A P U T XX.

Conventus noster Posoniensis Cæsarea Regiâque Auctoritate confirmatur.

I. **S**tabiliendæ securitati futuræ plurimùm conducit, si piæ Foundationes Summorum Principum Auctoritate muniantur. Huc facit, quod Musarum filius Plautus in suis comœdiis non minùs argutè, quàm eleganter dixit: *Istuc est sapere, non quod ante pedes modò est videre, sed etiam illa, quæ futura sunt prospicere.* Certè in Regno Hungariæ, nisi mutæ transactiones & alia majoris momenti negotia Regis Apostolici diplomate roborentur, ob rerum, temporumque vicissitudines facilè convelli possunt. His probè consideratis, tametsi nihil eorum in præsentibus vereremur, & prætereà consideremus, nostros futuris temporibus Regnum & Civitatem ità demerituros, ut nihil sinister nobis eventurum arbitraremur; verumtamen ut in Regno Hungariæ constituti Regni juribus nostra quoque, ut par est, conformaremus, simul & firmaremus, Cæsareæ, Regiæ, Apostolicæque Majestati, LEOPOLDO I. Augustissimo Romanorum Imperatori, supplicem libellum porreximus, quò supplicavimus, quatenùs Sua Sacra Cæsarea Majestas domum nostram Posoniensem in suam reciperet protectionem, ejusque foundationem stabilem ac firmam ad majorem Sanctissimæ TRINITATIS gloriam, animarumque salutem, captivorum præcipuè Christianorum sub jugo Turcico gementium solatium decernere dignaretur.

Futuris temporibus providendum.

Adelpb. actio
3. scena 3.

Petitur foundationis confirmatio.

II. Has preces Sua Majestas clementissimè exaudivit, eisque benignissimè annuit: bonum atque pium opus Eminentissimi Cardinalis a Kollonicz Archi - Episcopi Strigoniensis laudavit, approbavit; jussitque Regias Litteras expediri, quibus robur inviolabile actis addidit, & ad perennem firmitatem solidavit. Notatu digna sunt ibi peculiariter verba illa, quibus Augustissimus opinionem suam atque fiduciam in nostrum Ordinem testatur, quando dicit: *Patres Trinitarios, quorum piis suffragiis victorias nostras erga juratum Christiani Nominis hostem, Turcam, juvari firmiter credimus.* Quod dictum oraculi locò mihi impræsentiarum abundè

A Cæsare confirmatur.

Fiducia Cæsaris in precibus Religioforum.

1700. sufficeret, nisi alii fatius judicassent, si integrum diploma, prout jacet, huic operi infereretur; hujusmodi namque authenticis Instrumentis non solum Historia majorem venustatem contrahit, sed etiam res domi parta validius stabilitur. Hoc autem diploma saepius jam iteratò Curiae stylo ita se habet:

NOS LEOPOLDUS DEI GRATIA ELECTUS
*Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclavoniaq; &c. Rex, Archi-Dux Austria, Dux Burgundia, Brabantia, Styria, Carinthia, Carniolia, Marchio Moravia, Dux Luxemburgi, ac Superioris & Inferioris Silesia, Wirtembergae & Teckae, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Kyburgi, & Goritiae, &c. Memoria commendamus tenore presentium significantes, quibus expedit, universis. Quòd pro parte & in Persona Religiosorum Patrum Ordinis Sanctissimae TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione captivorum Posoniensium exhibitae sint Nobis & presentatae certae quaedam Litterae Fundationales Reverendissimi in Christo Patris Domini Leopoldi Sanctae Romanae Ecclesiae Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyteri Cardinalis a Kollonicz Archi-Episcopi Strigoniensis, Locique & Comitatus ejusdem Supremi, ac perpetui Comitatus, Primatis Hungariae, Legati Nati, Summi Secretarii & Cancellarii, S. Joannis Hierosolymitani Ordinis Prioris & Commendantis Egra ac Mailbergae, actualisque Consilarii Nostri intimi in membrana patenter confectae, Latino idiomate concinnatae, ac in hacce Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae die trigesima mensis Junii anno Domini millesimo sexcentesimo nonagesimo nono proxime praeterito, Archi-Episcopatus verò ejusdem anno quartò emanatae, propria manu ejusdem subscriptae, sigilloque majori impendenti communitae. Quibus mediantibus idem Dominus Cardinalis & Archi-Episcopus Strigoniensis certis, rationabilibus de causis & respectibus, animum ejusdem ad id probe inducentibus, praedictos Religiosos Patres (qui non ita pridem ad dictum Regnum Nostrum Hungariae per Reverendissimum olim in Christo Patrem Georgium Szecheny Archi-Episcopum Strigoniensem, Praedecessorem modò fati Domini Cardinalis & Archi-Episcopi Strigoniensis introducti essent, actuque in suprafata Libera Regiaque Civitate Nostra Posoniensi extra Portam S. Michaelis resident) eorumque Successores quovis tempore & loco perpetuò firmos ac stabilitos fecisse, suprafatamque Residentiam ipsorum quocunque aliò in futurum fortè pro majori commodo extra eandem civitatem translocandam Authoritate sua Metropolitana non modò
inter*

inter reliqua ejusdem Civitatis Monasteria reputasse, connumerasse, & adscripsisse, ac ab omnibus in perpetuum talem reputari, connumerari & haberi voluisse cum omnibus gratiis, privilegiis & exemptionibus tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alii Conventus de jure & consuetudine gaudere, frui, & potiri consueverunt: verum etiam pro majori eorundem Religiosorum Patrum firmitate certam summam quatuor millium florenorum Rhenensium, quam supra domum extramœnialem, vulgò Pongraczianam sic dictam, quam ipsi Patres defactò inhabitant, in forma oppignorationis idem Dominus Cardinalis & Archi-Episcopus haberet, plenariè ac integrè ipsorum Patrum Trinitariorum usui, possessioni & Dominio cum pleno jure per modum cessionis donasse, & pro coëmendo sibi in futurum uberiore & ampliore commodiorèque situ, seu loco applicasse dignoscatur tenoris infra scripti. Supplicatum itaque exstitit Majestati Nostræ nominibus & personis antelatorum Patrum Ordinis Sanctissime TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione captivorum, Pofonii residentium, debita cum instantia humillimè, quatenus supra-fatas memorati Domini Cardinalis & Archi-Episcopi Strigoniensis Litteras fundationales, omniâque & singula in eisdem contenta, ratas, gratas, & acceptas habentes, presentibus Litteris Nostris Privilegialibus inseri & inscribi facientes Authoritate Nostra Regia approbare, roborare, & ratificare, proque iisdem Patribus Trinitariis Pofoniensibus, ipsorumque Successoribus universis perpetuò valituras gratiosè confirmare dignaremur. Quarum quidem Litterarum Fundationalium tenor sequitur in hunc modum. Nos LEOPOLDUS Miseratione Divina Sacra Romana Ecclesie Tituli S. Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis a Kollonicz Archi-Episcopus Strigoniensis, Locique ac Comitatus ejusdem Supremus & Perpetuus Comes, Primas Regni Hungariae, Legatus Natus Summus Cancellarius & Secretarius, Sancti Joannis Hierosolymitani Ordinis Prior & Commendator Egra ac Mailberga, Sacra Cesareæ Regiæ Majestatis intimus actualis Consiliarius, &c. Memoria commendamus tenore presentium significantes, quibus expedit, universis. Quòd cum Nos continuis CHRISTI Redemptoris monitis admonemur & factis, ut inter reliqua misericordiae opera, ea speciali sollicitudine promoveamus, quæ ipsius Domini Salvatoris Nostri in terris versati imitationem commendant, suæq; Excellentissimæ Charitatis Orbi redimendo exhibita promptiorem præferunt speciem, Eamque haud obscuram Reverendos Patres Ordinis Sanctissime TRINITATIS Discalceatorum de Redemptione captivorum (qui non pridem ad Regnum

1700.

Hungariae per praedecessorem Nostrum pie memoriae Georgium, olim Szecheny Archi-Episcopum Strigoniensem fuerunt introducti) ex munere praestitisse, praesertim erga pauperes dira truculentorum Christiani Nominis hostium captivitate detentos, & multiplici eorundem Sancti & Laudabilis Instituti habito fructu cum totius populi adificatione & solatio non semel sumus contemplati. Tale ergo tamque grande bonum cupientes iisdem per ampliores Orbis Christiani plagas Fidelibus populis diffundere, singulariter verò in Apostolicum Hungariae Regnum commodius in Domorum amplificatione exercere, humiliter Nos exposularunt, quatenus in Libera ac Regia etiam Civitate Posoniensi illis facultatem fundandi de Nostra Auctoritate imperitari dignaremur. Nos autem (Qui aliàs eos in integrum temporali fundatione stabilire defacto impedimur) re in condignum respectum maturamque considerationem sumpta, illos interea saltem Paterna Nostra Protectione fovere, aliquoque adminiculò instruere, votis eorundem omni, quò possumus, meliori modò annuendum duximus. Ideoque Nos praemissò piò eorundem zelò & pro bono etiam publico, hocce praesertim in Hungariae Regno, tanquam totius Christianitatis Antemurali, continuisque bellorum cum naturali hoste Turca vicissitudinibus, vastationibus & captivitatibus ut primùm exposito perquam utili & haetenus necessariò redimendi captivorum Christianorum sanctò Institutò benignè inclinati praedictos Reverendos Patres bienniò ante in praefata Civitate Posoniensi extrà Portam S. Michaëlis residentes, eorumque Successores quovis tempore & loco perpetuò firmos & stabiles esse per praesentes facimus, ac ipsorum Residentiam quocunque aliò in futurum fortè pro majori commodo extrà eandem Urbem translocandam, non modò Auctoritate Nostra Metropolitana inter reliqua ejusdem Civitatis Monasteria deputamus, connumeramus, & adscribimus, ac ab omnibus in perpetuum talem reputari, connumerari & haberi volumus, cum omnibus gratiis, privilegiis, & exemptionibus, quibus tam in spiritualibus, quam temporalibus alii Conventus de jure, vel consuetudine gaudere, frui & potiri consueverunt. Verùm etiam pro majori eorundem firmitate summam quatuor millium florenorum Rhenensium, quam supra domum extramœnialem, vulgò Pongraczianam sic dictam (quam ipsi Patres defacto inhabitant) in forma oppignorationis habemus, plenariè ac integrè ipsorum usui, possessioni & dominio cum pleno jure per modum cessionis donamus, & pro coemendo sibi in futurum uberiori & ampliori, commodiorique loco elargimur. Firmiter Nobis in futurum pollicentes affectum & gratitudinem eorundem Reverendorum

Pa-

Patrum presenti Nostro beneficio apud Divinam Bonitatem corre-
spondurum. Dabantur Vienna Austriae die trigesima mensis Junii
annò millesimò sexcentésimò nonagesimò nonò, Archi-Episcopatùs No-
stri annò quartò. Nos itaque hujusmodi humillima supplicatione pro
parte, & in personis mentionatorum Religiosorum Patrum Trinita-
riorum Posoniensium Nostra, modò quò suprà, porrecta Majestati
Regia Benignitate exaudita, & clementer admissa, tum ex ratio-
nibus & motiuis in prainsertis Litteris Fundationalibus uberius ex-
pressis & declaratis, tum verò pro ea, qua erga Patres Trinitarios,
quorum piis suffragiis victorias Nostras erga juratum Christiani No-
minis hostem Turcam juvari firmiter credimus, prainsertas Litte-
ras benè memorati Cardinalis & Archi-Episcopi Strigoniensis a Kollo-
nicz Fundationales non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua
sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio & suspicione carentes, præ-
sentibus Litteris Nostris privilegialibus de verbo ad verbum sinè di-
minutione & augmento aliquali insertas, & inscriptas, quò ad om-
nes earundem continentias, clausulas, & articulos, eatenus, qua-
tenus eadem ritè & legitimè existunt emanata, viribusque earun-
dem veritas suffragatur, ratas, gratas, & acceptas habentes Re-
gia Nostra Authoritate approbavimus, roboravimus & ratificavimus,
ac pro suprafatis Patribus Ordinis Sanctissime TRINITATIS Discal-
ceatis de Redemptione captivorum Posoniensibus, ipsorumque succes-
soribus universis perpetuò valituras gratiosè confirmamus. Imò ap-
probamus, roboramus, ratificamusque & confirmamus. Salvo jure
alieno. Harum Nostrarum Secretò Sigillò Nostro, quò ut Rex Hunga-
rie utimur, impendenti communitarum vigore & testimoniò Littera-
rum. Datum per manus fidelis Nostri Nobis dilecti Reverendi La-
dislai Matyasowsky Episcopi Nitriensis, Locique & Comitatus ejus-
dem Supremi ac perpetui Comitatus, Consiliarii Nostri, ac per Ungariam
Aule Nostrae Cancellarii in Civitate Nostra Vienna Austriae die vige-
simatertia mensis Septembris, annò millesimò septingentesimò, Regno-
rum Nostrorum Romani quadragesimò tertiò. Hungariae & Reliquo-
rum quadragesimò sextò, Bohemiae verò quadragesimò quinto.

CAPUT XXI.

Imperator LEOPOLDUS nostro Hospitio Medio-
lanensi in Conventum erigendo suis Litteris, ad Cardina-
lem, Archi-Episcopum ejusdem Urbis scriptis,
patrocinator.

I. **S**UPEREST, quod ratione temporis fuerat prius annotandum,
alia videlicet Benevolentissimi Caesaris Epistola nequaquam

K k k k

filen-

1700.

LEOPOLDI
Caesaris Epi-
stola sunt in
pretio.

1700.

silentiô prætereunda, cum summorum Virorum Acta & ad posteriores Monumenta, quibus nihil est ad Historiam illustrandam utilius, etiam rebus ipsis concilient auctoritatem longè clarissimam. Et certè LEOPOLDINÆ Epistolæ eruditæ adeò probantur, ut spectatâ styli elegantia & limatissima verborum phrasî eas non modò epistolis cujusvis ex antecedentibus Imperatoribus æquandas, verùm etiam anteferendas esse arbitrentur: hinc vitio mihi dabit nemo, quòd impigrâ solertiâ Augustas epistolas omnes conquissiverim, quas undecunque demum nancisci potueram ad rem nostram pertinentes, qualis etiam illa fuit, cujus apographum mox subnectemus; Mediolanenses siquidem Patres nostri, quibus minimè obscurum erat, quanto affectu & benevolentia LEOPOLDUS Imperator Ordinem nostrum prosequeretur, decreverunt Eius Patrocinio, apud Cardinalem Archi-Episcopum Mediolanensem interpositò, evincere, ut Hospitium eorum Mediolani ad jura Cœnobii eveheretur. Patribus itaque Viennensibus commiserunt negotium addictissimum Cæsarem inducendi, ut hac de causa in nostrum favorem ad Eminentissimum Archintum Mediolanensem Archi-Episcopum Litteras dare dignaretur; quod Benignissimus Monarcha prolixè etiam præstitit, meliore tamen spe supplicum, quàm postulatorum successu: neque tamen idèd fuit nobis prætermittenda hæc Epistola, quæ singularem Laudatissimi Principis erga nostrum Ordinem testatur affectum, ut res ipsa docebit;

Eadem in favorem PP. Mediolanensium.

Reverendissime in Christo Pater!

Cæsaris Epistola ad Cardinalem Archintum.

Cum jam aliàs mihi Patres Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ TRINITATIS de Redemptione captivorum submissimè exposuissent, se ad exequendum sacrum Institutum suum pro majoro conventuum dilatazione habenda adlaborare, eò, quòd nullum extrà Hispanias præter Romanum, Viennense in Austria & Illavien- se in Hungaria extaret monasterium; ideoque summoperè anhelare, ut hospitium Mediolani jam pridem stabilitum in monasterii fundationem transfret. Ego habita benigna ratione, quòd dicti Patres omni virtutum genere, austeritate vite, magnaque doctrinâ inter ceteros Religiosos colluceant, & pro modico tempore, quò in his partibus degunt, non exiguam inde sibi laudem comparaverint, quòd plurimos captivos ex Turcia redemerint, ad quondam Cardinalem Caccia meas quidem pro asserenda prædictorum Religiosorum intentione expediri jussi interventionales, sed propter obitum ipsius subsequutum ne quidem exhiberi potuerunt. Unde Reverendissimam Paternitatem Vestram pariter benevolè requiro, velit Paterna sua Auctoritate sæpèfatis Religiosis adesse, ut voti sui compotes reddantur, adeoque hanc commendationem meam sibi profuisse sentiant, quòd & mihi pergratum erit. Vienna 22. Martii 1700.

Alia fuerunt similes Litteræ ad Prædecessorem.

CA.

CAPUT XXII.

1700.

Conventus noster Posonii ad commodiorem situm
transfertur.

I. **H**Aëtenus Posonii domum sat amplam incolueramus, quæ publicum prius diversorium sub signo sacræ Regni Coronæ fuerat, & ab adventu nostro ad hanc urbem in religiosum domicilium transferat, in illa suburbii extra portam S. Michaëlis platea, quæ vetusto nomine via Hungarica, sive Bellocvicensis audit. Notabatur autem jam ab initio locus iste pro struendo cœnobio minùs idoneus, idque multis ex rationibus, quas singillatim exponere non vacat. Postquàm igitur domus illa Eminentissimi Cardinalis Archi-Episcopi donatione in communem Ordinis nostri possessionem transivisset, atque adeò nobis jus relictum fuisset situm commutandi, cœpimus sollicitis oculis commodiorem locum circumspicere. Aberat inde haud procul in via Capraria, quæ propiùs ad portam S. Michaëlis accedit, domus altera vetustate quidem fatiscens, sublimibùs tamen muris adinstar turris aut propugnaculi cinctæ, & ab avito possessore *Szenzeiana* dicta, cui hortus non modicus adhærebat. Hoc ædificium libera erat possessio nobilis cujusdam viduæ, quæ sub quibusdam conditionibus domum illam cum horto nobis vendidit, cui subinde adjunctæ fuerunt aliæ duæ ædes, ac tandem etiam tertia pro Ecclesiæ structura. Quoniam verò civis, ejus possessor, nullis amicorum precibùs persuaderi poterat, ut eam nobis rationabili pretiò acceptò cederet, Imperator publica commoda privatis utilitatibus præferenda ratus, illam Regiò suò Decretò nobis asseruit, ex cujus vigore dictum ædificium a peritis æstimatum, ac postea etiam paratâ pecuniâ a nobis persolutum fuit. Domus istæ, eisque contigua hortorum spatia dirutis deinde muris quibusdam, aliisque superstructis in Ecclesiam, decentemque Religiosorum habitationem, paucis sumptibùs redactæ fuerunt, festinatòque labore structura adeò excrevit, ut post breve tempus dies translationis assignari potuerit.

Posonii
struendo cœ-
nobio com-
modus locus
comparatur.

Cæsaris De-
creto domus
quædam no-
bis vendenda
asseritur.

II. De re tota certior factus Eminentissimus Cardinalis Archi-Episcopus monet, ut translatio quidem fieret, omni tamen ostentatione ac exteriori pompa seclusa; quod prudentissimus Princeps idcirco ordinasse videtur, ut hòc pactò tumultibus omnibus, quos ab æmulis ob Religionis diversitatem excitandos verebatur, aditum intercluderet, & animorum commotionibus obviaret. Nostri intellecta Præfulis mente sapientissimis ejus monitis adversari noluerunt. Die itaque vigesima mensis Novembris in priore nostro domicilio festa solemnitas S. P. N. FELICIS VALESII celebrata fuit, tanquam epilogus quidam sacrarum functionum per tres annos ibidem peractarum. Decantatis verò a meridie vespertinis Laudibùs, cum supellectilia ferè omnia in novam habitationem præmissa fuissent, Religiosi nostri per intervalla, quasi aliò progredierentur, in alterum domicilium se transtulerunt, duobùs

Cœnobii
translatio
peragitur.

1700.

Modus translationis.

duntaxat in veteri domo relicti, qui stationem ea nocte sua praesentiam tuerentur. Haec transmigratio tanto silentio successit, ut nemo eam propere animadverterit. Novo habitaculo occupato, Praeses loci sub occasum solis consueto ritu Ecclesiam & aedem benedictione lustravit. Sequenti die ad primam orientis aurorae lucem, cum horologium septimam prorsus sonaret, dato utrobique aëris Campani signo P. Franciscus a Matre DEI Praeses in nova Ecclesia, & P. Emmanuel a S. Maria in veteri sacra aedícula ad celebrandam sacram Liturgiam prodire, hic ultimum in antiqua domo, ille in nova Ecclesia primum facturus Sacrificium, ita ex composito observatis, mensuratisque momentis, ut uno eodemque tempore sacra Eucharistia in loco veteri consumeretur, & in novo institueretur. Quod cum hucusque clam ad mentem Eminentissimi Cardinalis Archi-Episcopi Strigoniensis, id suadentis, rite fuisset peractum, tubicines & tympano-triba foris ad Templi januas constituti, ut piam plebem ad devotionem invitarent, laetum ediderunt clangorem. Populus rei novitate excitus confestim accurrit, aut fortuito pertransiens ultro substitit, cumque videret, quid rerum hic ageretur, attonitus primo obstupuit; postquam vero factum in vulgus plene emanasset, omnes mira gestientes hilaritate applausere. Nec mora: fit subito concursus plurimorum, certatim ad sacram aedem convolantium, quae cum accurrentium multitudini impar omnes in suum gremium admittere nequiret, multi ante januas in genua provoluti (quae pietas in DEUM erat illius populi) novum Domini habitaculum & Domum DEI calidissimis precibus salutavere. Ipsi quoque heterodoxi, qui eam horam pro solito more fanum suum vicinum petebant, deflexo tramite nostram tantisper ingressi sunt, via quam poterant, sacram aediculum, ut prurientes oculos inopinata hac novitate satiarent.

Populi concursus ingens.

Expositio SS. Eucharistiae.

Sencio.

Solemne sacrum.

III. Ab ea autem hora, quam mane sacra Eucharistia in principis aëre solio collocata fuit, usque ad noctem publicae venerationi exposita permansit, sub cujus temporis decursu in tribus novae Ecclesiae altaribus non pauca sacrificia tam ab exteris, quam a domesticis Sacerdotibus celebrata fuerunt. Horam consuetam post aëris Campani signum Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Joannes Baptista Otto e Comitibus de Volckra, Episcopus Scardonensis, nec non Praepositus Ecclesiae Collegatae S. Martini Pofoniensis, simul & civitatis ejusdem Curio suggestum conscendit, & ad frequentem omnis status & conditionis multitudinem luculentam dixit panegyrim, in qua praesentibus rerum circumstantiis ingeniose deductis, sumptaque dicendi occasione ex anniversaria Virginis DEIPARAE in templo praesentatae memoria, cujus festivitas ea die agebatur, non minore eruditione, quam facundia Ordinem nostrum & Redemptionis captivorum Institutum summis laudibus exornavit. E suggestu descendens pontificalibus indutus ornamentis ipse quoque solempne Sacrum inter musicos phonascorum modulos celebravit assistentibus diversorum Tribunalium Magistratibus, & prima Cleri regnicolarumque nobilitate.

Ad

Ad meridiem in cœnobii triclinio opiparum prandium nobilibus hospitibus & Religiosis domesticis exhibuit Illustrissimus Dominus Christophorus Comes Erdœdius Cameræ Hungaricæ Præses. Huic post meridiem successit altera ad circumfusum populum concio, quam ex superiore loco proposuit P. Isidorus a Visitatione Ordinis nostri Religiosus, Viennâ in hunc finem Posonium evocatus, & communi omnium plausu auditus. Concionem hanc pomeridianam Vesperæ exceperunt a Sacerdote ac musicis solemniter decantatæ. Ad extremum, cùm ob ingruentem noctis caliginem, quæ hemisphærium nostrum jam latè inumbraverat, populorum devotioni diutiùs fieri satis haud posset, in spiritualis solatii compendium levatâ sacrâ Eucharistiâ, & in formam crucis ductâ, universis data fuit benedictio, ac Hierotheca in sacrario tandem reclusa. Unde nos pariformiter jam expirante sæculô a CHRISTO in terris natô decimô septimô librum nostrum hîc quartum claudimus, & verbis S. Pauli Apostoli ad Timotheum scribentis obseramus : *Sit Regi Sæculorum immortalî & invisibili, soli DEO honor & gloria in sæcula sæculorum*

1700.

Altera concio post meridiem.

Vesperæ.

Benedictio.

A M E N.

